
# COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.




## VOLVMINIS XXX. PARS III.

LIPSIAE, MDCCLXXXVIII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Pr. Elmsly, Edinburgi apud Elph. Balfour, Lugd. Bat. ap. Fratres Luchtmann, Parisiis apud Barroi senior. Venetiis apud Io. Bapt. Pasquali, Milano apud Ios. Galeazzi, Augustae Taurinor. apud Laurent. Giraud, Florentiae apud Ios. Molini, Holmiae apud M. Swederum.



# I.

Opere anatomiche, e ceruſiche di AMBROGIO BERTRANDI, Profeſſore di chirurgia pratica nella R. vniuerſità di Torino, membro della reale academia di chirurgia di Parigi, della societa' reale di Torino, e primo chirurgo della S. R. M. del fu re CARLO EMANVELE, pubblicate, e accreſciute di note, e di ſupplementi, dai chirurghi GIO. ANTONIO PENCHIENATI e GIOANNI BRVGNONE Profeſſori nella regia vniuerſità, e membri della reale accademia delle ſcienze di Torino, Tomo I. Torino 1786. preſſo i fratelli Reycends et Lipſia preſſo Gleditſch P. I. 204. pagg. P. II. 196 pagg. Tomo II. 365 pagg. Tomo III. 1787. 384 pagg. Tomo IV. 311. pagg. Tomo V. 368 pagg.

hoc eſt:

Opera anatomica et chirurgica AMBROSII BERTRANDI notis et ſupplementis aucta ab I. A. PENCHIENATI chirurgo, et Ioh. BRVGNONE, profeſſore, Taurinenſibus, etc.

Cl. BERTRANDI, multis ſcriptis chirurgicis ac anatomicis eleganter ac docte elaboratis, praeprimis vero tractatu *de operationibus chirurgicis* *) tantam ſibi inter populares aeque ac exteros pepe-



*) Trattato delle operazioni di chirurgia, quem duobus tomis Cl. GABER Nizza a. 1763. octonis cum figuris edidit. Gallice verſus prodiit cura SOLIER DE LA ROMILLAIS Pariſiis 1769. octonis.

rit laudem, vt propemodum omnes magno deſiderio tenerentur, reliquorum quoque huius viri ſcriptorum poſt fata ipſius in ſcriniis deliteſcentium edendorum. Huic deſiderio ſatiſfacere ſtuduerunt Cl. PENCHIENATI, familiaritate cum Noſtro coniunctiſſimus, et Cl. BRVGNONE, atque opera ipſius ſuis lucubrationibus doctiſſimis, quia BERTRANDVS manus ſuas poliendis iis praeuentus morte admouere non potuerat, prodire iuſſerunt, ſibique doctiſſimos viros mirum deuinxerunt in modum, amico vero ſuo communi monumentum aere perennius exſtruendum curarunt. Hiſtoriae quoque litteraT. I. riae fautoribus ſeſe commendatiſſimos eſſe volue-
p. 11. runt, praemittendo commentationem hiſtorico - criticam *de vita ſtudiis, atque operibus* Cl. BERTRANDI, quae eo gratior nobis fuit, quo magis intelleximus atque re ipſa vidimus Cll. Editores officio biographorum rite fuiſſe defunctos. Poſſemus plurima de eius vita commemorare, niſi nobis otium feciſſent praeter Editores Cll. viri ELOY *) CARRERE **) et ADELVNG, ***) quippe qui in quamplurimis cum noſtro biographo accurate conſentiunt; itaque tantummodo haec addere placet Noſtrum ex aſſidua veterum medicorum praeprimis CELSI lectione, eorumque comparatione feliciſſima cum GVILLEMEAV, TE-
p. 75. VENINO, CLERICO, MANGETO, ROONHUYSENIO, PLATNERO, aliiſque ſibi tam egregiam artis chirurgicae, vt et propriis obſeruationibus atque operationibus comparaſſe notitiam, vt iure meritoque chirurgis principibus accenſeri mereatur.

p. 97. Oratio *de ſtudio chirurgiae* lecta in regia Taurinenſi vniuerſitate d. 5. Nou. 1758. primum occupat locum, ita conſcripta, vt et orationis elegantia et

*) in Diction.

**) in Biblioth.

***) *in der Fortſetzung zu* IOECHERS *Gelehrt.* Lexico.

et grauitate oblectare et recreare animum, rerum autem copia et vbertate prodeſſe quam plurimum lectoribus poſſit. Commendat autem ante omnia anatomiam, ſine qua chirurgus nauium gubernato- p. 104.
ri eſſet comparandus acu magnetica reliquoque apparatu nauali deſtituto; phyſiologiam, vt ſciat, quo modo ex legibus naturae omnia in corpore humano p. 108.
fiant, vtque ordinem naturae ſeruare, et peruerſum et mutatum reſtituere diſcat, omnemque adeo theoreticam medicinam, quorſum pertinet diaetetica, p. 112.
ſemiologia etc. ac practicam. Atque in partes do- p. 121.
ctiſſimorum virorum STAHLII, KALTSCHMIDII, qui iam ante eum ac VOGELII, MEDERERI, VOITI, aliorumque, qui poſt eum medicinae et chirurgiae perpetuum nexum ac neceſſitatem propriis propoſuerunt libellis, tranſit; atque propter hunc conſenſum vera eſſe omnia, quae protulerit, docet. Hiſce tamen ex noſtra ſententia debuiſſet Cl. A. adiicere doctrinas, quae chirurgi ſcientiam ornant ac augent, ſcilicet matheſin, et inprimis mechanicen ac dynamicen, vt quantitates et vires corporis perſpectas habeat, atque eas pro conſilio excitare aut imminuere tentet, porro aerometriam, vt aeris in corpus humanum agentis effectus in chirurgia facienda reſpiciat, tandemque artis pictoriae principia, vt tanquam artifex, inſtrumenta vſui ſui adaptata, delineare et figuris circumſcribere valeat linearibus, quo illa rite poſſint fabricari.

Excipit hanc commentationem *hepatis deſcriptio* p. 133.
latinis exarata litteris, in qua finitione praemiſſa, formam, figuram, ſitum et colorem huius viſceris declarante, multiformem ſeu ſimam iecoris faciem, ac lobi dextri, ſiniſtrique formam conſiderauit, ac recte monuit, RVFFI EPHESII haruſpicumque comparationem quatuor hepatis extantiarum, cum gladio aut cultro, auriga, foco menſa vel vngui, iure

 merito-

meritoque ad meras nugas, fabulasque aniles esse
p. 136 referendam. Docet lobum dextrum hepatis in dimidia sinistraque parte fossa diuidi transuersali, in quam ex sinistro latere fouea transit, ab vmbilicali vena impressa, in qua ductus venosus in foetu iacet. Recte autem monet dici sinus ibi cum maxima transuersa fouea, recte *portas* a veteribus, cum optime hoc nomen ipsis conueniat, quippe cum et Geographi vias angustas, quas circumstant alti colles, portas salutare soleant; vt sunt Portae Caspiae,
p. 138. Syriae, Ciliciae, Caucasiae etc. RIOLANO vero suffragatur iecoris figuram variare vt plurimum. Accuratissimam tamen huius visceris dedisse descriptionem Cl. BIANCHI auctoritate Cl ALBERTI NICOLAI *) confirmat, eamque CHESELDENII delineationi admodum praeferendam esse censet. Directionem venarum accurate suppeditat, atque venam
p. 140. vmbilicalem et canalem venosum. Nullam tamen ad ostium venae vmbilicalis, vbi committitur cum
p. 150 sinu venae portarum et ad initium finemque ductus venosi, valuulam inuenit adiectam, quam alii vidisse perhibent, sed vix leuis illa ruga quae ibi in conspectum venit hoc nomine potest insigniri, quam quidem et nos saepius vidimus, nullam autem valuulam detegere nobis licuit. Neque omittit biliarios ramos ac ductum hepaticum, quibus subiungit ductum cysticum, atque descriptis membranis ac tunicis vesiculam cingentibus felleam, specialem vesiculae annulum membraneum, a GLISSONIO pro musculoso habitum propius considerat, atque negat eum musculosum esse, praeprimis cum in plicam planam et tenuissimam in exsiccatis exeat vesiculis, sine vllis paene conspicuis musculosis fibris, quid quod ille annulus ita humilis persaepe est, vt paene nullus videatur, aut vix ruga sursum versa. Subii-

*) Diatribe mechan. anat. de directione vasorum p. 92.

Subiicit his valuulas in hepatico ductu, in choledocho et cyſtico conſpicuas, a contracta corrugataque interiore tunica orientes. Tandem praeſentiam canaliculorum admodum tenuium ab ipſo ductu hepatico per hepatis ſubſtantiam ad veſiculam felleam properantium in eamque ſe aperientium duce Cl. BIANCHI demonſtrat, ad ipſam *αὐτοψίαν* prouocat, et aduerſus Cl. LIEVTAVD eoſdem defendit. Pergit ad arteriarum enumerationem, ac neruorum, et ad hepatis portas glandulas ouatas deſcribit, quippe quae ibi aſſident, colore rubro, ſubobſcuro, aut etiam liuido, tum ob perfuſam bilem aliquando paene luteo. Glandulae ſiquidem illae quoad magnitudinem variae, ad fabae craſſitiem aliquando ſine morbo accedunt, imo etiam illam ſuperant, numero autem ſunt vario et inconſtanti, textura peculiari, et aliarum conglobatarum glandularum non omnino ſimili, hancque ob cauſam *lanuginoſas* aut *muſcoſas* eas appellare placuit auctori, quia abſciſſae aut parumper aqua ſolutae eiuſmodi prae ſe ferunt ſpeciem. Non raro eae abſunt, hinc penes multos ſcriptores de iis altum ſilentium. Rite his propoſitis accedit ad vaſa lymphatica per vtramque jecoris faciem ſub eius tunica reptantia, quae in loborum fiſſuris et quibuſcunque exterioribus caueis perreptantia ipſe vidit. Lymphaticorum autem cum ſanguineis a nonnullis celebratas anaſtomoſes Noſter non vidit, vidit quidem vaſorum aliqua a proximioribus abdominis partibus accedere, alia ab intima viſceris ſubſtantia aſſurgere, ſed quo principio non definire ſuſtinet; et VIEVSSENII opinio, quod nimirum ea vaſa ab extremis arteriae hepaticae radicibus exſurgant, aliorum vero quod ab acinis jecoris glanduloſis proueniant, nondum firmo ſtat talo. Ex commemoratis igitur neruorumque implexu iecur compoſitum in membranacea capſula con-

p. 156. p. 164. p. 171. p. 172. p. 173.

tinetur, cuius longius protenſae partes ligamenta
p. 178. vulgo vocantur. Qua capſula deſcripta declarat venam portarum et arteriam hepaticam in paene infinitos, et ſenſim maxime minimos elongari ramuſculos, atque ſanguinem in hepar infundere, et infuſum primum in hepar ſanguinem ab egredientibus venis hepaticis ad cauam venam hinc traduci. Attamen maiorem portionem in efficienda hepatis maſſa venae portarum eſſe quam venae cauae, illiuſque maiores ramos quam citiſſime in longe minores redigi, experimentis inſtitutis edoctus eſt.
p. 180 Circa finem autem MALPIGHII ſententiam de ramuſculis venae portarum hepaticae in quamdam ſubſtantiam productis, quae ab ipſo glanduloſa vocatur, examinat, eamque pro peculiari artificio naturae in conſtruenda hepatis interna fabrica habet. Neque a partibus ſtat RUYSCHII exiſtimantis, totum viſcus nullis glandulis, ſed ſimplicibus eiuſdem vaſorum continuationibus, quorum ſupellex ampliſſima eſt, confici, ductuſque hepaticos ſine intermedio folliculo ab extremis venae portarum hepaticae ramuſculis oriri, et contendentis ſpectabiles, ſi quippiam videant, viſceris acinos, glomeramina, ſeu potius diſtinctos cumulos vaſculorum nulla peculiari membrana obtectorum eſſe. Magis adſtipulatur Cl. BIANCHI, ſtatuenti quidpiam a vaſculoſa et glanduloſa ſubſtantia diuerſum in viſceribus exiſtere.

p. 188. Sequitur hanc commentatio aeque latina *de hepatis abſceſſibus*, qui vulneribus capitis ſuperueniunt. Interdum abſceſſus hepatis ex inflictis capiti vulneribus originem trahere, iam veteres obſeruarunt, tantummodo de cauſa illorum diſceptatum eſt. Quidam neruorum ſympathicas affectiones cauſam eſſe arbitrati ſunt, quod tamen aduerſum anatomiae eſt, ratio ſiquidem non patet, cur non

et

et alia viſcera ad quae iidem tendunt nerui, eodem afficiantur modo. Nonnulli vero refluenti materiei ipſorum cauſam tribuunt; at quamquam metaſtaſis doctrina ſit admittenda, tamen non id perpetuum eſt, vt hepatis abſceſſum promouere aut concomitari videatur ſemper. Ab ipſa potius vitiata ſanguinis periodo huiuſmodi affectum repetendum eſſe obſeruationibus quibuſdam edoctus eſt Noſter. Saepiuſcule enim vidit abſceſſum oriri, ſi aeger ab accepto vulnere capitis bilem viridem euomit, delirio corripitur, conuellitur, ſanguinem ab ore, oculis, vel naribus emittit, ſi genae tument, iugula palpitant, hypochondria conuelluntur; quandoque etiam idem affectus producitur, ſi vulneratus comatoſus decumbit, ſtupidus, vaniloquus, atque tunc iugula potius tument et liuent, et hypochondria intenta dolent. Subſumere igitur licet in eiuſmodi aegris ſanguinis motum per cerebrum eſſe vitiatum, cui perturbato motui aſcenſus arteriarum cerebri, earum tenuitas, viſceris mollities ac ſtructura, ſinus arteriis ac venis intercepti, atque horum ad iugularium venarum alueos decliue, breue et facile iter; igitur irruenti ſanguini amplam et expeditam viam aperiunt, vel maſſam maiorem facile admittunt; hinc ſanguis vel nimium praeceps, vel nimia maſſa grauis per venam cauam deſcendentem propulſus, aſcendenti facile vim faciet, quoniam nulla eſt ad harum venarum confluxum ſtriga cartilaginoſa HIGHMORI, nullus VIEVSSENII iſthmus, nullum LOWERI tuberculum, et ne quidem ipſarum venarum minimus angulus; quae machinamenta etſi eſſent, nec quidquam agere poſſent, ne ad auriculam dextram vim pateretur a caua inferiore affluens ſanguis. Iam vero liquidorum homogeneorum preſſiones ita ſe habent, quomodo altitudines et baſes, baſis autem et altitudo cauae

adſcendentis longe maiores ſunt; deſcendentis vero exceſſus ſeu maior vis tanta erit numquam, vt infringat, et ſuperet aſcendentem, alias enim lethalis ſyncope contingeret; aliqua tamen eſſe debet; at ſi quidem preſſiones per annulos et ſegmenta in liquidis vndatim agant, preſſio autem ſit in ratione reciproca diſtantiae et reſiſtentiae, vbi ideo minor erit diſtantia et reſiſtentia, ibi praecipue vis ſuae exceſſum exſeret. Igitur ſi quis perpenderit cauae aſcendentis ramos hepaticos duarum venarum confluxui propinquiores eſſe, in amplo reconditos inerti viſcere, et gregatim in cauam venam aſcendentem confluentes, facile intelliget atque perſpiciet ibi deſcendentem ſanguinem eo pacto vitiatum primo agere, aſcendentis motum remorari et impedire, atque ideo ſtaſin promouere, ex qua inflammatio fiat, in gangraenam aut abſceſſum terminatura. Tales abſceſſus interdum ibi fiunt, vbi ne vlla quidem eſt ſuſpicio, et vbi tantummodo in regione he-
p. 191. patica obtuſus ſentitur dolor, qui deinde intenditur aut grauior fit, interdum aegri reſtituti videntur, vulnere bene conglutinato, functionibus tamen animalibus non rite ſuccedentibus, qui tamen poſtea ictero, reſpiratione difficili, deiectionibus purulentis, corripiuntur, emaciantur, iugulantur. Vberius haec
p. 193. exemplis declarantur. Obiter quoque monet venaeſectionem in pede a quibuſdam inſtitutam et repetitam plus nocere quam prodeſſe, cum illa reſiſtentiam in vena caua aſcendente ita imminuat, vt velocitates et deceſſus in ſuperiori augmentum ca-
p. 196. piant, vnde tales aegros ictericos fieri vidit. Tandem declarat luteam depluentem materiam hepatis abſceſſum perpetuo non indicare, et ſi alba fluat hepar affectum eſſe ſuſpicandum eſſe, huiuſque rei cauſa ad auctoritatem HIPPOCRATIS *) prouocat. Inte-

*) aph. 45. VII.

Interim tamen, quamquam bene ſuo officio functus fuiſſe videatur in explicandis illis abſceſſibus, grauiſſimos aduerſarios nactus eſt, ſcilicet Cl. POUTEAU, chirurgum Lugdunenſem atque DAVIDEM, quippe qui ſententiam de neruorum affectionibus tanquam cauſam abſceſſuum hepatis amplexi ſunt. His viris ceteroquin doctiſſimis modeſtam apologiam oppoſuit, ſuamque ſententiam vlterius confirmare ſtuduit. p. 198.

Tomi primi pars altera tractat *de tumoribus calidis* *), cui praefixa diſſertatio praeliminaris Cl. Editoris, in qua breuiter de ordine in hoc tractatu ſeruato differit, animaduerſiones quaſdam addit de operatione trepani in ſterno, atque ſigna allegat abſceſſus mediaſtini, in qua niſi omnia nos fallunt ob conciſionem et accurationem laudandus eſt. P. II.

Iam redeat oratio ad tractatum ipſum, in quo primo in vniuerſum *in naturam tumorum*, *geneſin*, *ſigna communia*, *differentias*, *principium augmentum*, *ſtatum*, *declinationem* inquirit, *prognoſes* addit, atque monet, *quomodo* pro circumſtantiarum varietate aliiſque ſymptomatibus *in aperiendis*, *exſtirpandis aut curandis tumoribus ſit verſandum.* p. 1.

Praemiſſa hac expoſitione accedit ad tumores ſigillatim, quorum *claſſis prima* continet *tumores humorales*, quos vel celeriter et cum impetu, vel lente oriri et exſurgere videmus, quique propter affluxum inflammantur, vel ob congeſtiones frigeſcunt; hinc duplex diuiſio in inflammatorios et frigidos. Ideoque *ſectione prima* tractat *de tumoribus inflammatoriis* p. 17.

*) Hoc ipſo anno Lipſiae prodiit tranſlatio Teutonica huius libri, ſub titulo: AMBROS. BERTRANDI *Abhandlung von den Geſchwulſten aus dem Italiäniſchen überſetzt und mit Anmerkungen verſehen von* CARL. HEIN. SPOHR *bey I. F. Iunius* 1788. laudari ac de meliori commendari debet haec verſio.

*matoriis in uniuerſum*, quos ordine iuſto explicat,
atque ad ordinem primum ſeſe accingit, compre-
p. 29. hendentem *tumores phlegmonoſos*, ſub quibus com-
prehendit *eryſipelatoſos*, *oedematoſos ac ſcirrhoſos*,
ac qua ratione et interne ac externe illis ſit ſuccur-
rendum perſpicue docet. Deinde agit de *buboni-
bus*, *benignis*, *malignis*, *peſtilentialibus*, *venereis*,
*ſtrumoſis*, *criticis*, *ſuffocatiuis*, *et quibus remediis ca-
p. 51. ueri ac impediri poſſit, quominus retrocedant.* Pergit
ad inflammationem tonſillarum ac vuulae, et deſcri-
p. 56. ptionem vberiorem anginae peſtilentialis, quae an-
no 1610. in Hiſpania primordia cepit et in Italiam
tranſmigrata eſt, atque per viginti annos ibi ingen-
tes ſtrages edidit. Illud malum Hiſpani appella-
runt *garrobilio*. Breuem hic noui huius tunc tem-
poris morbi concinnauit hiſtoriam atque ſcriptores
illum morbum illuſtrantes laudauit, inter quos FO-
THERGILLVS quoque eſt, qui Londini idem ma-
lum cum ferocia ſaeuiens obſeruauit atque accura-
p. 64. tius deſcripſit. *) Inflammationes mammarum pro-
ximum occupant locum, quae vario modo conſi-
derari debent, illae enim tantum telam cellulosam
extendunt, aut glandulas, aut has partes ſimul in-
flammant, aut in ſuppurationem vergunt, quae
lento ſi procedit gradu abſceſſum format. quo vna
et altera glandula ſuppurare ſolet. His affectuum
varietatibus variae quoque adaptandae ſunt curae.
p. 72. Seorſim dein tubercula inflammatoria conſiderat,
quorſum pertinet phyma, phygetlon ſiue panus
p. 76. et terebinthus ac furunculus. Panaritii ſiue paro-
nychiae quatuor his ſubiicit ſpecies, ſi videlicet tu-
mor tunicam adipoſam ſub cute occupauit, ſi hu-
mor ſub vngue eſt, ſi humor ſub perioſtio latet, et
tandem

*) Deſcription du mal de gorge, accompagné d'vl-
ceres, qui a paru à Londres, traduit de l'Anglois
par Ms. de la CHAPELLE, Par. 1749. 12.

tandem ſi in vagina tendines muſculorum digitos mouentium comprehendente, deprehenditur.

*Ordo alter* tumorum inflammatoriorum com- p. 87.
plectitur *tumores eryſipelatoſos*, quos tamen melius
ſpurias inflammationes nominare poſſes. Hos quo- p. 89.
que κατὰ μεϱισμὸν pertractat, ita vt de eryſipelate
benigna aeque ac maligna, de phlegmonoſa et oe-
dematoſa et ſcirroſa potiora proponat. Carbuncu- p. 99.
los ſimul benignos, malignos et peſtilentiales ſub
examen vocat.

*Ordo tertius* continet quaſdam *obſeruationes ad* p. 106.
*abſceſſus internos ſpectantes*, quoad illi auxiliis chirurgicis tolli poſſunt. Signa vero ante omnia ſuppeditat abſceſſuum formatorum a morbo quodam locali, aut ex metaſtaſi, quibus ſubnectit caſus quoſdam proprios, in quibus ex fonte chirurgico nulla
poſſunt peti praeſidia. Recenſet dein *abſceſſus for-* p. 109.
*matos in cauitate cranii, in cauitate pectoris et in caui-* p. 112.
*tate abdominis, et viſcerum vaſorumque ibi collocato-* p. 120.
*rum*. Neque omittit commemorare *abſceſſus lacte-* p. 148.
*os puerperarum*, in earumque naturam inquirere; laudat inprimis remedium antilacteum, quod Rex Francogalliae a vidua WEISSII vtilitatis publicae cauſa emit, et quod huius eſt tenoris: ℞. Ariſtolochiae rotundae, Radicis filicis mar. Calth. vinear. perſicar. fol. hyperici dum floret, vincae peruincae, betonicae, Verben. ana Manip. I. Fol. et Fl. Serpylli, Primul. veris viſci querc. laureolae, polypodii quercini, galli lutei flor. tiliae, rad. ſcrophular. maj. ana Pug. I. fiat infuſio cum dimidia drachma vſque ad duas ſalis Anglic. et Fol. Senn. drachma dimidia. Infundatur duabus partibus ſeri lactis, hora interpoſita aſſumendis. Dein omnibus hebdomadibus capiendum laxans ex Mannae vnciis duabus et dimidia, ſalis Anglici vncia dimidia, ſolu. in aqua Cichor. ſilu. et Chaereſ. q. ſ. aut ſimplex haec formu-

formula adhibenda ℞. fummit Flor. Samb. galli lutei, hyperici ana fcrup. I. Fol Senn. Sal cathart. drach. dimidia vfque ad 1. coq. in aqua q. f. Detur.

p. 156. *Ordo quartus* fiftit tractatum *de gangraena*, *ficca* aeque ac *humida*, variofque modos in fcholis re-
p. 193. ceptos, quibus fuboriri folet ex ordine commemorat, atque peculiare exemplum de gangraena ficca ex efu clauorum fecalinorum producta fubiungit.

T. II. Praepofita eft *Tomo fecundo differtatio de hydrocele*, *Latine* confcripta, quae vtique noftra attentione digna eft, quia confilium auctoris eo pertinuit, vt SHARPII fententiam, qui hoc argumentum ante noftrum tractauit, nonnulla adiiciendo, illuftrare atque etiam in quibufdam emendare in-
p. VI. ftituit. Primum igitur obferuauit receptas a veteribus diuifiones non omnibus arridere auctoribus, et nonnullas a quibufdam praetermitti, quafdam negari penitus. Antiquiores enim medici exiftimarunt aquae effufiones in fcroto oedemata referentes fieri inter communia integumenta et mufculum dartos, dein inter hunc et mufculum cremafterem, aliam inter hunc et tunicam vaginalem, aliafque in tunica ipfa vaginali funiculi fpermatici, aut didymi vel in ipfa didymi fubftantia. Duae priores fpecies ita funt comparatae, vt fi alterutram neges, vtramque certe negaueris. Si enim illa tela quam veluti dartos mufculum defcribunt vere eft cellulofa vtut eft, quomodo aquam in diftinctas cauitates coercebit, vt alterutra huiufmodi fequatur hydrocelis fpecies? Et quidem quando ob aquam intercutem fcrotum tumet, ea vfque ad teftes vndique fuffufa videtur, et teftes ita ambiuntur, vt cellulofa tela itidem vndique expanfa et oppleta videatur. Contingere quidem poteft, vt difruptis cellulis aqua amplos fibi paret cuniculos, veram hydrocelis fpeciem aemulantes; verum auctor hoc nunquam vidit, nifi quod

quod e difrupta vrethra multa vi vrina ipfa impeteret, vel eadem aqua inter cutem vitio aliquo inficeretur. Illa enim facile cellulas tenues erodit, vt hinc aqua in confpicuas ferpat cauitates, quod et in cryftallinis bullis penes fiphiliticos folet contingere. Aqua vero in iis feiunctis cellulis, per p. VII. altitudinem fuam perpendicularem premens, cuius preffio vt ipfae cellulae diuiditur, eas numquam ita difcindet, nifi commemoratorum alterutrum accedat vitium. Quando vero id contingit, aqua vt plurimum minus limpida eft vel cum fanguine mixta atque accedente vi externa fcrotum laedente vera haematocele eft, quae dum fanguis per medicamenta excutitur, in veram tranfit hydrocelem. Tertiam fpeciem autem omnino negat, quia fieri nequeat, vt aqua inter cremafterem et funiculum fpermaticum pendeat, fi huiufmodi mufculus fibris, feu lacertulis raris, laxis, imo et quandoque expanfis defuper teftem terminatur, nec ipfum in peculiari capfula includat? Ea certe per totam fcroti cellulofam telam effundetur, vt ab aqua, quae eft inter cutem, non diftinguatur, quod in iis contingit, qui aliquo teftis morbo laborarunt. Demonftrat con- p. VIII. geftam in hydatidibus, funiculi fpermatici aquam cellulas fenfim diftendere atque efficere, vt vera oriatur hydrocele. Talemque nominat ab initio cellularem, quia fentitur primum circa funiculum fpermaticum defuper teftem craffitudo quaedam leuis, mollis, veluti fub tactum euanida, et ab annulo ad teftem elongata, quae fenfim crefcit, vel in plures cellulas longe maiores perpetuo diuifa, vel tandem in vnum faccum amplum et craffum euafura. Huiufmodi autem aquarum congeries in p. X. ipfa funiculi fpermatici vaginali tunica fieri poffe probat ex iis, quae didymum farcomatofum comitantur, quos duos morbos FABRICIVS AB AQVA-

PENDENTE

PENDENTE hydroſarcocelem appellauit. Prouocat
ſimul ad auctoritatem Cl. MONRO. Haec autem om-
nia SHARPIVS difficile admittit, imo ſilentio prae-
terit, ſingulas enim hydrocelis ſpecies praeter eam,
quae fit in tunica vaginali refutare allaborat, vt ad
p. XIII. hydatidum referat ſpecies. In vetuſtis et amplis
herniis ob nimiam defluxarum partium molem et
preſſionem in ſacco humor quandoque colligitur,
atque ita ſubſidet, vt conſpicuam aquarum conge-
riem ſeu veram hydrocelem faciat. Profitetur qui-
dem ſe hydrocelem in ſacco prolapſi peritonaei non-
dum vidiſſe, ſe tamen vidiſſe herniam veſicae vrinariae,
cuius tranſitus per annulum muſculorum abdominis
ita fuerat coarctatus et obſtructus, vt niſi perfracto
quodam tartareo caemento tenuem ſtilum traiicere
poſſet. Haec obſeruatio excitare poteſt obſeruatorum
p. XIV. diligentiam in eiuſmodi herniis inquirendis. Recen-
ſuit quoque ex etymologia hydrocelis herniam aquo-
ſam mulierum, cuius ASPASIA mentionem fecit
apud AETIVM. Illa ſcilicet hernia aquoſa circa
alas pudendi conſtitit, inflationi ſimilis, debili ac
molli tumore ad contactum fluctuationis apparen-
tiam quamdam exhibens. Talem vidit in ſcroto
lue venerea laborante, atque iterum in puerpera,
quae vterum in iliacam regionem reclinatum geſta-
uerat; atque in hocce caſu huiuſmodi morbos
facile euenire poſſe ex eo coniicit Noſter, quod li-
gamentum rotundum inclinationi vteri oppoſitum
ita diſtrahitur, vt cellulofus textus, quo ad puden-
dum firmatur, ſolui et penitus dilacerari poſſit.

p. XV. Sequitur *curandi ratio*, quae in euacuatione hu-
moris et ablatione ſacci poſita eſt: ad haec ſetaceum,
cauſtica, et ferrum commendantur, quae ſingula
licet non ſemper aeque praeſtent, alterum tamen
alteri quandoque non immerito praeferri poteſt.
In hydrocele autem in tunica vaginali funicali ſper-
matici

matici prognata ſetacea profuiſſe expertus eſt, cauſtica enim erodentia vel exſiccantia facile vaſa ſpermatica erodunt atque occaleſcunt. Si plurimae ſunt cellulae, deductis ad latera integumentis ductu parallelo inciduntur cellulae a parte inferiore ad ſuperiorem. Si glutinoſo infarctae ſunt humore forcipum cuſpide leuiter et minutatim concidendae, ſi maculis quibuſdam lenticularibus vnguiformibus eas obſeſſas intelligimus, quod interdum fit, illaeque integumentis firmiter adhaerent, vt haud p. XVII. facile ſepararari poſſint et in ſuppurationem abeant; tunc apertis et per longitudinem quaqua verſum cellulis, et euacuato humore, ita vt funiculus vaſorum in conſpectu ſit, cauum implendum eſt linamentis, quorum ſuperficies verſus integumenta lapide infernali contuſo et cum ſapone permixto ſit oblinita, vt maculae eae erodantur, non enim alio pacto tolli poſſunt. Aqua vero in vnica et ampla cauitate contenta ſiue in funiculi, aut in ipſa teſtis vaginali tunica perpetuam hanc curam requirit, vt cauſticis aut ſcalpello tumor per longitudinem aperiatur, et ſacci ſuppuratio excitetur. Praeſtat autem in ampla hydrocele aquam per acum triquetram educere, atque corroborantibus remediis, tum ſuſpenſorio ſcrotum fouere, et ſuſtinere per aliquot dies, ſi iterum humorum ſit copia collecta denuo ſcalpello incidere, ita enim multo facilius ſuppuratio fiet, atque reſtitutio ſequetur. Haec methodus ſufficit illi hydroceles ſpeciei ſanandae, in qua aqua limpida fluit neque inueteratus tumor ſcrotum nimium diſtendit, neque nimia craſſitudo ſacci eſt, quae poſt peractam acu puncturam corrugationem atque contractionem impediat. Si au p. XVIII. tem aqua ſubrubra vel atro rubeſcens, lurida, graueolens eſt, periculum in mora eſt, ſcrotum ſcalpello illico incidendum atque teſtis perſaepe exſcin-

p.XXIV. di poſtulat. Si ex rupta vrethra hydrocele fit, amplae et multiplices in ſcroto inciſurae ſunt faciendae, quibus ſubterfuſa vrina quam citiſſime elimine- tur, ne ſinus effodiat, neque eam peculiarem gangraenoſam mephitim excitet. Lotiones ex infuſis antiſepticis adhibeantur, cataplaſmata ex farinis applicentur, quibus vis ſeptica moderatur, atque quantocyus ſuppuratio promoueatur. Obſtaculum ſi quod eſt, in vrethra confeſtim remouendum, fiſtula RONCALLI aut catheter PETITI in veſicam intromittatur, perpetuo manſurus, donec foramen

p. XXV. vrethrae occludatur. Finit hanc diſſertationem curatae illius hydrocelis ſcroti ſpeciei hiſtoria, quae ad gangraenam progrederetur, infuſo ſcilicet ex puluere chinae parato, ſcroto ſcarificato, puluere in inciſiones inſperſo et pannis cum hoc infuſo impraegnatis ac ſupra poſitis.

p.XXVII. Ad calcem huius diſſertationis adiectus eſt *diſcurſus praeliminaris de tumoribus reliquis pertractandis*, ſcil. de tumoribus *ſanguineis*, *lymphaticis*, et de ratione, qua in ſequenti Tomo concinnando cupiunt verſari Editores.

T. II. *Volumen alterum* incipit ſecundam ſectionem tumorum humoralium, complectentem tumores frigidos, quorum characterem et diuiſionem primo loco ponit, et dein.

p. 2. *Ordine primo frigidos tumores* ſiſtit, et quidem *ſanguineos*, explicatis omnibus egregie, quae ad eiusmodi tumores ſanguineos in vniuerſum rite expli-

p. 6. candos ſpectant, agit ſtatim ſigillatim de *aneuryſmate* vero aeque ac ſpurio, et quomodo oriantur me-

p. 16. chanice rationem reddit. Varias methodos ipſe auctor aneuryſmatum variis medendi ſpeciebus laudat, quibus recentiſſimas editores ſuo tamen iudi-

p. 20. cio interpoſito addiderunt. Neceſſaria cognitu de

p. 22. varicibus eorumque cura profert, et varicocelem

deſcri-

describit, addendo simul, qualis diaeta sit adhibenda. Paulo verbosius autem versatus est in haemorrhoi- p. 27.
dum explicatione, quae et ita comparata est, vt nihil habeamus quod addamus.

*Ordo secundus tumorum frigidorum* continet *tu-* p. 38.
*mores lymphaticos*, quos in vniuersum considerat, causamque principem in abundantia, viscid tate aut alia quacumque difficultate eius progressum et distributionem remorante ponit, quae dein quoad varias affectiones quoque varios producit tumores. Oedemati autem simplici, phlegmonoso atque ery- p. 43.
sipelatoso primum assignauit locum. Pergit ad hy- p. 52.
datides et hydrocephalum, quem quoad externum p. 56.
atque internum statum suae subiecit disquisitioni Breuem attamen sufficientem his subiungit de hydrora- p. 65.
chitide descriptionem. Hydrocelem vero secundum p. 69.
tres suas species proponit, atque hydropem articulorum paulo accuratius disquirit, et hydroglossum p. 82.
et ranulam breuissime perstringit. Sequuntur tu- p. 85.
mores cystici siue folliculati, in quibus peculiaria de meliceride, steatomate, ateromate, lipomate, talpa, testudine, natta et gangliis profert. In scrofu- p. 104.
lis siue strumis curandis aliquid adiumenti ex vsu aquae marinae exspectandum esse censet, atque suae sententiae auctoritatem conciliat testimoniis CELSI *), PLINII **), SERENI SAMONICI ***), ac RUSSEL ****), recensetque exemplum puellae Londinensis hac ratione a Cl. SPIELD medico Britanno feliciter persanatae †). Haud parum quoque tribuit ipsi



*) de Med. II. 12.

**) H. N. XXXI. 6.

***) c. 40. de quartana.

****) in diss. de tabe glandulari, siue de vsu aquae marinae in morbis glandularum, Oxon. 1750.

†) WARTON, adenographia c. 37.

matrmionio *) tanquam multorum morborum remedio; iuuenes ſiquidem caelibes frequenter ſtrumoſi fiunt, poſtea vero matrimonio coniuncti nonp. 129. nunquam ſponte curantur. Bronchocelen ſecundum ſuas differentias belle deſcribit atque ex pharmacopaea Taurinenſi laudat remedia abſorbentia. Ad ſcirrhum quod attinet, praeprimis confutare ſtuduit opinionem GRASSHVIS **), exiſtimantis ſcirrhum reſolui non poſſe. Remediis ſiquidem antiſcorbuticis, antiuenereis, antiſcrofuloſis, mercurialibus caute adhibitis, croco martis aperitiuo, tartaro martiali ſolubili, terrae foliatae tartari commixto cum gummi ammoniaco; bdellio, ſagapeno puluere viperarum et millepedum, externis aptis non neglectis ſoluitur, qua quidem in re nos facile habet ſibi conp. 156. ſentientes. Fuſius de cancro eiuſque differentiis egit, et cauſas cur degeneret in ſcirrhum, lipoma p. 180. et ſarcoma produxit. Curandi methodos SANCHEZII et SWIETENII ope mercurii ſublimati, ASTRVC per inunctionem mercurialem, LAMBERTI cum belladonna, STOERCKII cum cicuta deſcripſit. Sed non in omnibus de felici gaudere poſſumus ſucceſſu, ſiquidem ſaepius intelleximus omnem operam et oleum perditum fuiſſe his remediis adhibitis.

p. 189. *Claſſis. II.* ſiſtit *tumores ſarcomatoſos*, cuius character eſt, rubedo in hac parte, vti in omnibus aliis, maior, minorue eſt, prout ſanguis maiori vel minori copia per eas permeat, vel in iis retinetur. Si modica ſanguinis quantitas per membranam celluloſam circulatur, albicans eſt, inprimis ſi pinguedine eſt referta: ſi autem ſanguis copia maiori verſus

*) Vide KRÜNITZ diſſ. de matrimonio multorum morborum praeſidio.

**) Exercitatio medico - chir. de ſcirrho et carcinomate, in qua etiam fungi et ſarcomata pertractantur. Amſt. 1741.

ſus eam impellatur, minima vaſa implebuntur, magis intumeſcunt omnia, et quae antea vix, ac ne vix quidem viſibilia erant, nunc oculo patebunt, atque ſic color membranae albicans in rubicundum mutatur. Quia vero haec praecipue locum habent, vbi praeternaturaliter excreſcit, hinc fungoſa caro ſemper rubicunda conſpicitur. Epulidem et pa- p. 198.
rulidem huic ſubiungit, et aduerſus priorem, ſi haemorrhagia ſuborta ſit, poſt exſtirpationem pulucrem MEKRENII laudat,*) qui eſt huius tenoris: ℞. Nuc. gallar. immatur. vnc. I boli arm. dr. j terrae lemn. vnc. I. et ſ. vitr. cypri ſcr. j alum. cr. dr. 5. m. fiat pulu. ſubtiliſſimus, ex quo cum albumine oui et aliquot guttis ſpiritus vitrioli mixtura fieri et loco affecto applicari poteſt. Diligenter ſatis polypum p. 208.
naſi deſcribere annisus eſt, laudat inprimis varios modos eos ſubligandi a DIONIS, HEISTERO aliiſque practicis traditos, atque remedia ab antiquioribus medicis, PAVLO AEGINETA atque ALBVCASI aeque ac recentioribus praeprimis LEVRETO propoſita ſimul allegat, atque docet contemnendos nequaquam eſſe veteres; ſed eorum praecepta cum recentioribus ſtudioſe combinanda. Progreditur ad p. 223.
polypum vteri et vaginae, quem probe ab aliis tumoribus ſibi quam proxime accedentibus, vt omnis confuſio vitetur, diſtinguit, et tria inſtrumenta a LEVRETO huius rei cauſa inuenta deſcribit accuratius atque aeri inciſa proponit, ſimulque perhibet qua ratione et quibus in caſibus cum fructu ſint adhibenda. Illum autem polypus vteri ad alium in p. 236.
vicinia protuberantem recta via ducit, polypum ſcilicet inteſtini recti, qui non confundi debet cum procidentia ani aut aliis fungoſis excreſcentiis, et cuius exſtirpatio non ſemper tuta eſt. Accidit quo- p. 239.
que, vt tumor ſarcomatoſus ſcrotum inter atque teſticulum



*) in Obſſ. chirurg. a Blaſio latine verſis, Amſt. 1682.

ſticulum emergat, quem ſarcocelem vulgo nominant, cuius ſigna allegat et quomodo a ſcirrho diſtinguendus ſit proponit.

p. 240. *Claſſis tertia tumoribus hernioſis* eſt dicata, quae ordines quoſdam ante oculos ponit, quorum prior
p. 242. hernias abdominales ſiſtit quae in diuerſas abeunt ſpecies pro locorum diuerſitate, et ideo quoque peculiaria ſua habent nomina. Rite his diſputatis de propriis herniis ſermonem inſtituit, et quidem pri-
p. 252. mum de ventralibus. Ditatum hoc caput obſeruationibus doctiſſimis KIRSCHBAVMII, GVNZII, GARENGEOTII, ARNAVDII, BENIVIENI et HALLERI reperimus, ſimulque viam ac rationem indicatam earum explorandarum. Tranſit ad exompha-
p. 259. lom, et ſigna enteromphaloceles, epiploomphaloceles ſeorſim ſuppeditat, et reliqua requiſita exacte
p. 270. commemorat. Hernia ventralis hunc excipit, cuius geneſin ex LE DRANII opinione proponit. Verba facit de bubonocele et oſcheocele, cuius geneſis a
p. 278. BENEVOLI relaxationi meſenterii tribuitur, cui ſententiae fauet, eamque argumentis exquiſitis vlterius firmare ac ſtabilire ſtudet. Diuerſas praeterea ha-
p. 293. rum herniarum ſub cenſum vocat ſpecies, atque ad herniam cruralem ſiue merocelem orationem ſuam dirigit. Hucuſque BERTRANDI commentatio de herniis. Cum autem multa ſcitu digna reſtarent Cll. Editores conſilium inierunt ſupplementis ſuis lacunam hanc explendi atque ſperarunt hac ratione gratiam inire apud lectores, qua quidem in re ſpe
p. 295. ſua nequaquam excident. Igitur adnexa eſt commentatio de hernia perinaei, foraminis oualis, in vagina, et in caua natura ſacroiſchiatica. Praemiſere autem deſcriptionem anatomicam ad meliorem cognitionem harum herniarum adiecta ſimul hiſtoria ſuc-
p. 305. cincta et cura. His additur hernia veſicae vrinariae, aeque ac hernia interna, quorſum referunt paſ-

ſionem

onem iliacam, et colicam, mutationeſque exinde in inteſtinis obortas. Etiam hernias congenitas in- p. 333.
quirunt, quorſum referunt, bubonocelem, oſcheocelem, enterocelem, epiploocelem, enteroepiplocelem, in tunica vaginali, et hydrocelen in tunica albuginea.

*Ordo ſecundus tumorum hernioſorum* prociden- p. 347.
tias viſcerum abdominis comprehendit et primo p. 349.
procedentiam ani, cuius cauſa dentitio difficilis, lithotomia, partus laborioſus, haemorrhoides internae, coniunctae cauſae inertia ſphincteris et muſculorum eleuatorum ani aliaeque. Procidentia veſicae, quae p. 359.
vel tota prolabitur vltimo loco, cuius exemplum vidit HAENIVS*), vel tunica neruoſa deſcribitur.

Tomo III. *de vulneribus* tractatur, quae prima T. III.
vice anno 1759 ſuis propoſuerat auditoribus, eaque curis ſecundis a. 1763 ſubmiſerat, atque addendo demendoque vniuerſam hanc tractationem ita adaptauerat, vt omnium propter perſpicuitatem, praeciſionis ac doctrinae copiam et praeceptorum praeſtantiam promereatur aſſenſum. Praecipit autem p. 1.
*Art.* I. *De vulneribus in vniuerſum.* Definitione praemiſſa docetur, quot modis vulnera fiant, quaenam ſint differentiae, qualia ſigna, quaenam prognoſes, quaenam in vniuerſum indicationes curatoriae, quaenam duce BOERHAAVIO ſint vulnerum ſimplicium phaenomena, et tandem quibus artificiis vtatur natura in formanda cicatrice. Varias p. 6.
hic et veterum et recentiorum ſententias de regeneratione et productione partium producit, atque ſub quibus circumſtantiis reſtitutio in integrum exſpectari poſſit, aperte docet. Progreditur ad varias methodos, quibus vulnera reuniri poſſunt. *Art.* II. *de accidentibus vulnerum* praecipit, inter quae prin- p. 21.
cipem occupant locum haemorrhagiae, quae cauſticis, corroſiuis adſtringentibus, comprimentibus



*) Rat. med. T. I. p. 1. c. 7.

medicaminibus ac ligaturis ſunt compeſcendae.
p. 34. Quomodo tractanda ſint vulnera edocet, ſi tumores accedant, et ſi illa ſint ſine tumoribus, et ſi intus corpora quaedam haereant peregrina, porro
p. 36. quaenam ſigillatim ſit differentia dolorum, et quibuſ-
p. 41. nam operationibus in vulneribus opus ſit. Supplementi loco Editores elegantem diſſertationem de torculari adiecerunt, in qua merita Cl MOREL, PETIT, MORAND, HEISTERI, GOVLARDI, iuſtis lau-
p. 48. dum celebrantur encomiis. *Art.* III. traditur quo *regimine atque medendi methodo* in vulneribus ſit
p. 53. vtendum. *Art.* IV. *Contuſiones* accuratiori ſubmittit examini, in quo de ſugillatione, ecchymoſi, indicationibus ſugillationum et applicatione topicorum ſimul, ac remediis internis adhibitis ſermo inſtituitur. Tandem ſigna ſuppeditantur, ex quibus
p. 63. cognoſcere poſſumus inſtare gangraenam. *Art.* V. *De vulneribus laceratione* factis. Duo caſus probe diſtinguuntur, videlicet vulnera laceratione ſimplici producta, et cum ſugillatione coniuncta, et cura
p. 68. eorum. *Art* VI. *Vulnera per ſclopeta et bombardas inflicta* recenſentur, quae ſingularem prorſus attentionem aeque ac curam requirunt. In hoc articulo elaborando optimos quoſque ſcriptores, qui iſtud argumentum ſeorſim pertractarunt, conſuluit, BART. MAGGIVM, ALPH. FERRIVM, LEON. BOTALLVM, VIGONEM, LE DRAN, RAMBY, PAREVM, alioſque. Inprimis lectu digna ſunt, quae concernunt amputationem, tempuſque illius adminiſtrandae legitimum. Inquiritur ſimul in ſubiecta animaduerſione in BILGVERI diſſertationem de membrorum amputatione rariſſime adminiſtranda, aut quaſi abroganda, et RAMBY laudes ob eximium chinae vſum
p. 91. celebrantur. *Art.* VII. *De vulneribus partium neruoſarum* ita differitur, vt ſymptomatibus et ſignis atque apta cura illorum commemoratis, etiam tendi-

noſarum

nosarum partium vulnera proponantur. *Art.* VIII. p. 102.
*De adustis* et quatuor eorum speciebus, siue vt auctor appellat gradibus, satis fuse praecipitur, atque ex illorum differentia etiam diuersam medendi methodum adhibendam esse suadetur. *Art.* IX. *De vulneribus a venenatorum et rabiosorum animalium morsibus.* p. 113.
Intricatum hoc argumentum bene explicatum atque vtilissimis obseruationibus ditatum illustratumque esse fatemur ingenue. Per partes videlicet eundo, animalia rabida, serpentes, scorpiones, rubetas, vespas, araneas nominat, inprimis vero sub censum vocat canes, feles, simias, vulpes, lupos, vrsos, gallos, qui, sponte interdum aguntur in rabiem, eandemque cum aliis communicare solent animalibus, praecipue vero *hydrophobiam* accuratius descripsit atque quamplurima remedia, quae aduersus eamdem aliquid valent, attulit; vt autem illa commentatio omnibus numeris fieret absoluta, recentioribus temporibus laudata ac nobilitata remedia Cl. Editores addiderunt, et de hoc morbo egregie promeriti sunt. Descripta hydrophobia p. 160.
ad *morsus a vipera profectos* progreditur, de quibus signa et remedia iusto ordine disposita sunt. Laudandae hic sunt obseruationes editorum de virtutibus aquae Luciae, et petrae viperinae arte factae TERMEYERI. Docte etiam de *morsu scorpionis*, p. 179.
*rubetarum*, *apum* etc. disseruit, et curam externam atque internam quam maxime commendauit. *Art.* X. p. 185.
Quoniam capitis vulnera prae reliquis attendi merentur, quum saepius de iis quaestiones in foro occurrant a medicis decernendae, singulari prorsus studio eadem pertractata cognouimus. Igitur *in vniuersum de vulneribus capitis* tractatur, deinde sigillatim de singulis instituitur quaestio, et quidem *de vulneribus integumentorum communium capitis*, quae ex specierum facie diuersa etiam diuersam admittunt

 curatio-

p. 195. curationem. Excipiunt haecce, *vulnera aponeurofeos et pericranii*, quae aeque varias induunt formas atque inflammationem durae matris habent comi-
p. 200. tem. Sequitur *de commotione cerebelli et extrauafatione fanguinis in cranii cauitatem*. In fupplementis fubiunctis, definitio, caufa, effectus, et figna huiufce commotionis vberius exponuntur, atque dictis maxima conciliatur fides ex BENJ. BELLI au-
p. 210. ctoritate. Examini porro fubiiciuntur diuerfae fracturarum cranii fpecies, primum nomenclatura illarum fuppeditatur. Pluribus de iis atque aliis quaeftionibus ad hoc caput pertinentibus agitur in fup-
p. 239. plementis. Pergit autem auctor *in defcribendis meningum vulneribus*.. Selectis obferuationibus etiam fupplementa hic repleta funt, in quibus praecipue refpondetur ad obiectiones factas a Cl. POUTEAU et DAVID, concernentes abfceffus iocineris a vulneribus capitis obortos, fimul de encephalocele quaedam apte dicta hic reperiuntur. In expofitione figurarum ratio redditur de trepanatione et horum inftrumentorum variis partibus formifque fingulis, vfuque multifario fingularum quoque partium, et de aliis inftrumentis, eorumdemque correctionibus ac
p. 274. emendationibus. *Art.* XI. Complectitur *vulnera faciem infeftantia*. Breuitatem auctoris in his commemorandis compenfarunt Editores, atque de narium laefionibus, ac cura, de decoratione fiue chirurgia curtorum, labiis leporinis, atque linguae vitiis egregie fcripferunt, multis hiftoriis adiectis, ne lectoribus gratia deeffe videatur, deturpatas tales facies
p. 294. fpectantibus. *Art.* XII. *De vulneribus colli*, arteriae afperae, venae ingularis, arteriae carotidis, neruorum intercoftalium, ceruicalium et tandem de oe-
p. 302. fophagi vulneribus. *Art.* XIII. *De vulneribus pectoris*. Bene diftinxit inter vulnera penetrantia et non penetrantia, fimplicia et coniuncta cum apertura

qua-

quadam et fractura ossium, cum haemorrhagia insigni atque emphysemate. In emphysemate inprimis editores satis profundam commendant scarifationem, simulque de laesis pulmonibus sermo instituitur, et de vulneribus mediastini, pericardii e. s. p. *Art.* XIV. *De vulneribus abdominis.* Hic externa et p. 319. interna abdominis, eius musculorum, viscerum, vasorumque vulnera ex ordine recensentur, atque quaedam exempla felicis curationis quorumdam vulnerum adiiciuntur. *Art.* XV. *De submersis in aqua* p. 342. ad vitam reuocandis. Varia praesidia commendantur, atque scripta propria laudantur. *Art.* XVI. *de rela-* p. 355. *tionibus faciendis a Chirurgis ad regium Fiscum, aut aliud quodcunque Tribunal.* Quamquam hic articulus sigillatim pertineat ad medicinam forensem, tamen illum supplementi loco hic legere non poenituit. Primum enim iuramentum a Chirurgo exigendum esse praecipit, eidemque leges quaedam sancte seruandas scribit, et qualis esse debeat relatio de vulneribus, relatio de inspectis cadaueribus, et p. 364. quomodo in singulis mortis generibus illae fieri debeant, quomodo de morbis veris, fictis, simulatis sit iudicandum, et quomodo de cura referendum.

Vberrimam atque largissimam nobis IV Tomus T. IV. *de vlceribus* promittit messem, antequam vero falcem in eamdem immittere possumus, in via illa, quam elegerunt Editores, paulum commorabimur, praemiserunt enim illi Tomo quasdam dissertationes auctoris, quas indicare debemus. Prima est anatomico physiologica *de cerebri fabrica ac vsu.* p. XVII. Hanc in duas diuisit partes, quarum prior est simplex et nuda partium encephali descriptio, quam synthetica prosequutus est methodo, quia ipsi elegans ac commoda visa est, et vt eo accuratius describere posset encephalum centena capita varia encheiresi dissecuit, auctoresque aeque ac celeberrimos in ar-

te

te viros consuluit. Cerebri membranas, a quibus exorsus est, ita persequutus est, vt matris durae seu meningum, musculosam et spontaneo contractilem structuram ac potentiam, contra BELLINVM, PACCHIONVM, LANCISIVM, VALCARENGVM proscriberet, aliaque plura de sinuum fabrica et habitudine illustraret, piae matris structuram nouam proposuit, arachnoideae obscuram illustrauit. Praecipue autem sollicitus fuit de synthesi cerebri, eiusque substantias aliis visceribus comparatas, Zootomia et physiologia subtiliori, iniectionibus, macerationibus et pathologicis obseruationibus ita persequi voluit, vt labores et industriam ipsius admirari debeamus. Topographiam anatomicam praecise, ad amussim minutimque describere; mechanicam habitudinem in vnum ita complecti promisit, vt omnes huius visceris elegantis ac artificiosi structuram intelligere queant ac perspicere. Neruos multa variaque arte examinauit microscopiis adeo, vt Bulfingerianam diligentiam superauerit. Etiam de genesi cerebri obseruationes eximias adiecit, et partem anatomicam Angiologia finiit. In parte altera physiologiam cerebri tradidit, et mox in corporis animique naturam inquisiuit, atque corpus ex materia compositum, animum autem substantiam simplicem absque omni materia esse pluribus argumentis aduersus scepticos adstruxit. Actum seu potentiam animi intuitionis sentiendiue examinare, MALEBRANCHII sententiam moderando, SPINOZAE, HOBBES, LOCKII, CVMBERLANDI errores modeste quidem at neruose breuiterque exprobrare constituit. Si vero in hac pertractatione animae informatio et tempora praetermissa inueniantur, veniam a lectoribus petit. Simulque consilium inierat de reali occasionali animae affectione aduersus BVFFONVM differendi. Sustinuit autem his praemis-

praemiſſis accedere ad neruos, quos primum vniuerſos motui, et ſenſui indiſcriminatim inſeruire aut diſtinctim alterutri prout modificationes inferant, docere ſtatuit; medio autem cerebro per neruos animam ad ſenſus aut motus excitari, obſeruationibus atque experimentis probare voluit, atque ſigillatim omnium ſenſationum modos ac rhythmos perſcrutari, et motus hac data occaſione, qui ſine cerebro contingunt, explicare. Ex phreneticorum, ebriorum deliramentis et fatuorum ſtupiditate, commercii animi cum corpore modum et legem facilius explicari poſſe exiſtimauit. Atque hocce greſſu ad enodandos omnium ſingularumque cerebri partium vſus adductus, atque de cauſis finalibus obiectam contemplationem atque cum religione integerrima tangere voluit. Quae ad mutuam partium mechanicam conuenientiam et habitudines faciunt, quaeue ad functiones ſingularum, accurate diſtinguere ſibi ſumſit. De anima brutorum breuiter ratiocinari ſibi propoſuit, quae Dei prouidentiam, hominumque ſeruant dignitatem. Hinc inquirere voluit, an animae natura praecipue in ſenſibus poſita ſit, et abrogatis ſenſibus an cogitatio eſſe poſſit, et LEIBNITII harmoniam ſtuduit confirmare. Secundum hanc ſciagraphiam hoc argumentum pertexere atque pertractare in animo habuit, et ſane elegantiſſimam exſpectare potuiſſemus hac de re commentationem, ſi exarata inuenta fuiſſent inter eius reliqua ſcripta, tantummodo initium de dura matre extat, reliqua deſiderantur.

Alia commentatio eſt, *de viſceribus vropoieticis*, p. XXXVIII.
vbi primo *de renibus*, quorum ſitum, formam, figuram, ſubſtantiam corticalem et tubuloſam, appendices, papillas, corpora pyramidalia, membranas, tubos ſiue calyces, arterias, fabricam, glandulas, vaſa emulgentia conſiderat. Progreditur ad *vrethe-* p. L.
*res*,

*res*, quorum tres tunicas a peritonaeo, prima producta, cellulosam deinde musculosam et nerueam describit. Valuulas in vretheribus se nullas conspe-
p. LII. xisse aduersus alios disputat anatomicos. *Vesicam* porro *vrinariam* submittit examini, eiusdem situm, elongationem in conicum funiculum, qui vrachus dicitur, fibras carneas elongatas in huncce funiculum, et tunicam carneam et nerueam recenset.
p. LXIV. Pergit ad *renes succenturiatos*, quorum figuram situmque tradit.

p. LXVII. Denique vltima dissertatio *lienis vsum* sistit, in qua primo agit de spatio siue cauitate, quam lien in corpore humano replet, dein describit lienis figuram, mollitiem atque reliqua. Vsum vero sic probare annisus est: Ventriculus dum ingestis continuo distenditur et ampliatur maiori quantitate sanguinis opus habet. Maior tunc institui debet liquoris gastrici secretio, maior excitari calor, maior fibrarum carnosarum motus, etc. Sed distendi ipse minime potest, quia, assurgente eius parte, quae ad hypochondrium sinistrum est, et quam tanquam coni, quem praestat, basin consideramus, lienem adigat contra resistentes costas, et diaphragma, vnde comprimatur insigniter. Ille igitur sanguis, qui in lienem penetrare amplius non poterit, in alteros certe coeliacae ramos deriuabitur, in gastricam nempe, et hepaticam arterias, at praecipue in gastricam, quae tunc maiori sanguinis quantitate scatere debet pro iis vsibus iam recensitis. Neque obstat, quod huiusmodi vasa inter tunicas comprehendantur; scimus enim nerueam tunicam, quae in vacuo ventriculo plures plicas agit, multum esse dilatabilem vt non comprimat vasa contra magis renitentem tunicam exteriorem, imo tum vasorum anguli, et plicae explicantur, rete illud Ruyschianum in ampliorem aream expanditur, vt sanguini irruenti locum

locum det; quod certe in huiusmodi casu euenire debet, quum humorum influxus eo plus increscat, p. LXX. quo magis resistentiae imminuuntur. Non negat compressis arteriis splenicis, in hepaticam arteriam tunc maiorem quoque sanguinis quantitatem adire, et reuera tunc magis turget hepar, et magis rubet. Verum, si comparemus diametros trium ramorum coeliacae, arteria coeliaca ita se habet:: 3 : 5, vice versa splenica ad gastricam, et haec ad hepaticam: quapropter considerata tum maiori extensibilitate vasorum gastricorum, lienalem sanguinem praecipue in ventriculum compelli constabit. Arteria hepatica sequitur rationem, quam habere debet, iuxta generalem systematis arteriosi normam coeliacae ramus, secus splenica, ac gastrica. Quando porro, sese contrahente ventriculo, atque in plicas euntibus eiusdem tunicis, longitudo vasorum imminuitur, anguli ipsorum crescunt, et vis contracti ventriculi renititur, lien a pressione liberatur; coeliacae adeo sanguis in splenicam maiori copia abibit, et reuera lien ieiuno ventriculo turget. Atque iterum patet, quemadmodum arteria hepatica, cui eadem semper obiicitur resistentia, huiusmodi vicissitudines minus patiatur, quod constat ex consideratione diametrorum superius recensitarum.

Ad tractatum ipsum de vlceribus iam accessuri, articulos singulos paucis indicabimus. I. *Art. de* p. 1. *vlceribus in vniuersum.* Definitione, causa, differentiis, characteribus probi puris, signis vniuersis, prognostico vniuersali propositis ad indicationem sese conuertit curatoriam, qua quidem in re et ad suppurationem et ad defectum suppurationis praeprimis respiciendum, laudantur hic cataplasmata et emplastra emollientia, suppurantia, digestiua vnguenta, mundificantia, quando ex indicatione sint adhibenda, qualesue eorumdem effectus, abstersiua, antiseptica, p. 8.

et

p. 13. et in quibus caſibus externa ſine internis prorſus nihil proficiunt remediis, quando ſarcotica adhibenda et quibus remediis caro denuo producenda, quomodo ad cicatricem perducenda, et qua ratione ex vlceribus rotundis ſint facienda angularia, vt eo melius fiat conſolidatio. HIPPOCRATIS et CIGNOZZI obſeruationibus ſua hac in cauſa ſuperſtruit argumenta, atque tandem quid agendum ſit, ſi recrudeſcant vlcera explicat. *Art.* II. *De vlceribus cum*

p. 21. *excreſcentiis carnoſis coniunctis.* Hic deſcribit carnis fungoſae naturam, quae interdum culpa medentium large propullulat, ſi nimia calida ſarcotica medicamenta adhibita fuerint, neque ſatis dilatati ſunt canales atque cellulae, quos occupauit vlcus. Duobus autem modis huic malo occurrendum, praecauendo videlicet, ac deſtruendo; vnde abſorbentia, ſtyptica, cathaeretica, cauſtica, faſciae comprimentes commendantur. Quamquam magnam virtutem faſciis comprimentibus, quarum egregiam vim noſtris temporibus celebrauit atque nobilitauit THEDENIVS, tribuat, tamen a nobis impetrare non potuimus, quin in omnibus ipſi ſubſcribamus, maxima enim in eiuſmodi ligaturis applicandis eſt circumſpectione opus. *Art.* III *De vlceribus calloſis.* Callum au-

p. 25. tem dicit praeternaturalem duritiem partis mollis, ſiue nodum oſſeum obortum ob fracturam, aut aliam laeſionem in oſſe factam, ex qua definitione vlceris calloſi naturam probe declarat et de cauſis praecedentibus et concomitantibus agit. Accedit ad prognoſin et curam, quam recte in internam aeque ac externam diſtinguit, atque quibus modis deſtructio calli fieri debeat, et qua cautione adhibenda cauſti-

p. 30. ca ſint, bene docet. *Art.* IV. *De vlceribus ſinuoſis,* in quibus potiſſimum ſinuum ſpectanda eſt diuerſitas: producuntur vero ex duabus plerumque cauſis, ſcilicet a pure acri ac rodente partes deſtruente, et deinde

deinde ab abſceſſibus, propriiſque ſuis ſignis ab aliis vlceribus facile ſunt diſtinguenda. Chirurgi autem officium in perſanandis iis pertinet eo, vt digerendo, mundificando, carne replendo, et cicatricem obducendo vniuerſum opus abſoluat, cui rei inſeruiunt iniectiones, dilatationes, et aperturae in aduerſa parte factae. Adduntur hic varii modi, quibus ea optime perfici poſſunt. Progreditur ad *fiſtulas in vniuerſum*. Sinus et fiſtula pro ſynonymis olim ſunt habita, at differunt aliquo modo, et commode fiſtula dici poteſt, vlcus altum, anguſtum et calloſum, et in iis percurandis ad calli deſtructionem et ſinuum abolitionem eſt reſpiciendum, ac notandum dari quoque fiſtulas curam palliatiuam tantum admittentes. Verba facit porro *de fiſtulis ſigillatim et de ſaliualibus ſiue ductus Stenoniani*. Fiunt eiuſmodi fiſtulae ope vulnerum, abſceſſuum atque vlcerum, praeprimis apertorum. SAVIARDVS ſanauit per cauterium actuale, MONRO perforando genas et ſetaceo, quam methodum paucis mutatis MORAND et LOVIS quoque adhibuerunt, et DUPHENIX vſus eſt canella et ſutura tortili. His methodis deſcriptis additur obſeruatio de cura fiſtulae parotidum. Accedit ad *fiſtulas pectoris*, quarum duo ſunt genera: externa, quae non penetrarunt in cauitatem internam, et interna, quae pro regionum diuerſitate, in quibus ſunt, etiam differentem admittunt curam. His addit *fiſtulas abdominis*, quae, vti praecedentes, duas agnoſcunt ſpecies, et tandem finit hunc articulum cum *fiſtulis perinei*, quae interdum penetrant ad vrethram, collum veſicae et veſicae ſubſtantiam ipſam, et in ſexu ſequiori ad vaginam, inteſtinum rectum, partesque adiacentes, et tandem, quae ad capſulam articulationis proceſſit. Hac occaſione non poſſumus non egregiam obſeruationem PETRI MARCHETTI de fiſtula perinei adiicere huius tenoris: Vocatus ali-

p. 37. p. 44. p. 51. p. 57. p. 61.

 quando,

quando, ait, a barbitonſore ad curandam fiſtulam
p. 67. pudendi muliebris, hic anatomes ignarus illius loco ſpecillo mihi exhibuit meatum vrinarium, in quem immittebat turundam longam ſatis, medicamentis corroſiuis indutam, vt tolleret callum, et fiſtulam ſanaret; miratus hominis imperitiam cacchinno dignam, ipſi mandaui, praeſente muliere, vt deinceps vteretur exigua turunda per duos, aut tres dies illita vnguento ex ceruſſa camphorato, quo excoriatio illa inducta a dictis medicamentis ſanaretur; cum tamen ſimul a muliere deſcenderemus, eumdem monui, quam credebat fiſtulam, eſſe meatum vrinarium; vnde ſuborto riſu, deprecatus eſt veniam, quod nunquam antea viderit pudendum mu-
p. 69. liebre huius erroris cauſam. *Art.* V. *De vlcere putrido*; huc pertinent vlcera cum ichore, ſanie, meliceria foetidiſſima, quae phagaedenica, cacoethea ſunt atque aliis ſalutantur nominibus, illa autem vlcera in ipſa medendi ratione ſunt conſideranda tanquam
p. 77. critica aut ſymptomatica. *Art.* VI. *De vlceribus ſiccis abſque omni ſuppuratione.* Diuerſimode ſolent illa oriri et curantur excitata inflammatione, producta febri, interdum ex defectu organicae actionis in conſpectum veniunt. Topica remedia in omnibus his caſibus optime conueniunt, attendendum tamen, ne in gangraenam abeant, aut per metaſtaſin ad alias deponantur partes; huic vltimo ſcopo adaptanda ſunt venaeſectiones, antiſpaſmodica, ano-
p. 82. dina, antiſeptica. *Art.* VII. *De vlcere ſcorbutico.* Illa ſcorbuto ſolent ſuperuenire, et cum illo communem agnoſcunt cauſam. Symptomata ſunt admodum moleſta, et ipſa vlcera haud raro fiunt cacochymica. Sequitur in hoc articulo LINDII methodum, quia nondum methodus *) TROTTERI tunc innotuerat,

*) Vid. Comm. Noſtror. Vol. XXX. p. 232. ſqq.

tuerat, et in cura ipſa ad auctoritatem SWIETENII *) prouocat. *Art.* VIII. *De ozaena.* Huius morbi cura eo difficilior redditur, quo profundior eſt exulceratio, et cacochymia vetuſtior. Exulcerationes autem, oſ- p. 96.
ſa turbinata, antrum Highmori, palatum, vuulam, tonſillas, linguam, pharyngem, aliaſque partes afficiunt, et ſi excreſcentiae ad apophyſin orbitariam oſſis palatini oboriuntur, amauroſis producitur. Pauca quoque de ozaena venerea habet. *Art.* IX. *De vlceribus cum oſſium carie.* Diſtinguit probe ca- p. 101.
riem ſiccam et humidam, apparentem et reconditam. In medendi ratione Cl. MONRO **) ſequitur. In p. 114.
ſicca carie perſananda eodem duce vtitur, ſimulque BELLOSTII perforationem oſſis carioſi diiudicat. Hu- p. 121.
midam autem quoad cariem, poſtquam dilatatio atque apèrtura facta eſt, quoque MONRO adſtipulatur, et praecipit quomodo ſit verſandum in percuranda fungoſa et phagedaenica, ac ſcruphuloſa, et quando amputandum ſit membrum. *Art.* X. *De herpete.* p. 129.
Prima illius diuiſio eſt in miliarem et exedentem, miliaris iterum duas ſpecies conſtituit, farinoſum, et ſquamoſum, exedens autem ſeroſus ac cruſtoſus eſt. Propria vnicuique cura externis aeque ac internis remediis eſt adaptanda. *Art.* XI. *De ſcabie, et lepra.* Va- p. 140.
riis ſcabiei generibus recenſitis internis ac externis remediis illam profligandam cenſet, et inter externa vnguenta ex ſulphure aut mercurio laudat, quae quidem quamquam minus tuta in quibuſdam caſibus ſub noſtro coelo ſunt, tamen penes Italos cum fructu adhiberi poſſunt. Specificum *Bruckmanni* hac occaſione ſuis laudibus non eſt defraudandum quo radicem Enulae helenii in infuſo Theiformi, et vnguentum ex eadem radice per coctionem et cum butyro recenti factum rite adhibuit. Ex metho-

 do

*) Comm. in BOERHAV. aph. T. III. P. II. p. 609.
**) V. della ſocietà d'Edimborgo T. V. p. 430.

p. 148. do recepta circa lepram varias eius ſpecies commemorauit, atque ſimul ſententiae ſubſcripſit, vermes in ipſa lepra obuios eſſe, de quibus nos docte ac eleganter inſtruxit Cl. MVRRAY *), multis nominibus a nobis laudandus venerandusque, noſmetipſi in praxi talem prorſus ſingularem obſeruauimus lepram, eiuſmodi animalculis ſtipatam ac feliciter ſanatam. Aduerſus eoſdem, vti recte monet Noſter, decoctum aloes in puluerem redactae, radicis ſtaphiſagriae, lixiuium e cineribus Nicotianae tabaci, vnguentum officinale ſtaphiſagriae, interdum cum mercurio vi-
p. 153. uo permixtum, egregie prodeſt. In ſupplemento ad hunc articulum multa docte atque eleganter ab Editoribus prodita ſunt de lepra HIPPOCRATIS ſiue morbo phoeniceo, de lepra Ebraeorum, de elephantiaſi Aretaei, et de lepra Guinenſi, *yavvs* appellata, cuius meminerunt LORRY **) et ASTRVC ***), ac de lepra Iamaicenſi endemica, *lepian* aut *epian* vo-
p. 162. cata ac deſcripta a SLOANE ****). Aliam lepram in Ducatu Auguſtae Praetoriae in Noſocomio Ord. milit. S. Mauritii a Cl. VILLOT curatam vberius expoſuerunt. Vermes in his morbis deprehenſi recta via nos ad alios vermiculos ſiue ad phthiriaſin et
p. 271. pediculos inguinales ducunt, ex hiſtoria antiqua ille morbus egregie illuſtratur, atque anthelmintica, mercurialiaque admodum laudantur; inprimis vero cingulum illud ſapientiae, quo fratres religioſi ab hoc malo vexati atque torti lumbos ſolent cingere, quod mercuriali decocto eſt humectatum. In acaris porro forte ignotis cauſam quaerendam plurimorum morborum cutaneorum ac vlcerum putridorum

*) de vermibus in lepra obuiis.

**) de morbis cut. p. 390.

***) de morbis vener. L. 1.

****) in Hiſtoire naturelle de Iamaique.

dorum ſtatuit. Adiecta eſt diſquiſitio de comedonibus infantum, quos recte morbum pilarem nomi- p. 177.
nat, et diſquiſitio de dracunculo, eius ſignis ac cura.
*Art.* XII. *De cruſta lactea*, *aphthis*, *et intertrigine*. p. 180.
Tres iſtos morbos dilucide explicauit, aptis remediis ſubiunctis. *Art.* XIII. *De tinea.* Quatuor eiuſ- p. 188.
dem conſtituit ſpecies, nimirum tineam ſiccam, humidam, ſquamoſam et furfuraceam. Inprimis
iuſtis celebratur laudibus methodus Cl. MYRRAY *) p. 197.
in percurando hoc morbo. *Art.* XIV. *De pernionibus.* Deſcripta natura et ſymptomatibus huius affectus, cura praeſeruatoria, cura morbi in eius initio,
progreſſu ac exulceratione ſuppeditatur. Articuli p. 202.
qui iam ſequuntur ex penu ſuo addidere Cl. Editores. *Art.* XV. *De callo.* Egregia de formatione calli
atque eius cura praecepta hic leguntur. *Art.* XVI. p. 208.
*De variis aliis morbis cutaneis, quorum nullam auctor fecit mentionem.* Quorſum pertinent, epinyctis ſiue exulceratio mucoſa CELSI, roſeolae ſaltantes, puſtulae eryſipelatoſae AVICENNAE, quarum duae ſunt ſpecies, altera phlyctaena obſcura, *pruna* dicta, cum qua carbunculus in quamplurimis conuenit, altera ignis Perſicus, vitiligenes porro, malum mortuum, gutta roſea, eryſipelas, ſicoſis, alopecia,
ophiaſis, plica Polonica. *Art.* XVII. *De inſitione va-* p. 231.
*riolarum.* Hanc tractationem commentarium ampliſſimum ſuper hoc argumento iure meritoque poſſumus appellare, non tantum breuem hiſtoriam variolarum hic conſpicere licet, ſed etiam variae methodi interpoſito iudicio proponuntur, regimen et cura inoculatorum; atque pluribus docetur artificiales naturalibus longe eſſe praeferendas, ſed hic certant medici et adhuc ſub iudice lis eſt. Verſus
finem pauca monentur *de inſitione morbillorum*, quo- p. 272.
rum primum periculum fecit Cl. FRANC. HOME medi-



*) de medendi tineae capitis rat. Gott. 1782.

medicus Edimburgensis, cui tamen sese opposuit
p. 273. Cl. DUBOSCQ *de la Roberdiere* *) *Art.* XVIII. *De vlceribus internis, et sigillatim de phthisi pulmonali.* Quamquam phthiseos cura ad forum medicum priuatim spectare videtur, attamen ob vlcera partem sibi aliquam vindicare possunt chirurgi, quia aliquam opem ferre queunt. Quaestionibus quamplurimis de phthisi pulmonali, eius frequentia, causis, praedispositione, et contagio propositis; accedit ad eos qui huic malo prae caeteris sunt expositi, scili-
p. 278. cet scrophulosi, haemorrhoidarii, plethorici. Deinde differit, quibusnam modis praecaueri possit, et quomodo in confirmata aliquid, ex vesicatoriis, fontanellis, setaceis ac cauteriis sit sperandum. Simulque quid ex suffumigiis siccis et humidis BONETI et BILLARDI emolumenti phthisicis afferatur, et quomodo supellectilia omnia, vestimenta et conclauia phthisicorum repurganda sint, ne alii ab conta-
p. 291. gio adgrediantur. *Art.* XIX. *De vlceribus artificialibus.* Inprimis sub censum vocantur vesicatoria, quae seorsim a nobis non sunt commemoranda, hoc tantummodo addimus, cauteria per moxam olim vsu
p. 298. receptam simul hic nominata fuisse, et quae iis com-
p. 303. mode substitui queant. Vltimo loco tabularum explicatio accessit.

T. V. Tribus libris volumen absoluitur quintum; omnium ossium corporis humani morbos complectentibus, quos quoque recensebimus pro more nostro ex ordine.

p. I. Igitur libro I. *fracturae* explicantur et quidem *cap.* I. *in vniuersum de fracturis* agit. Maxima autem intercedit inter fracturas differentia probe attendenda a chirurgo medente, et qualis sit instituenda operatio ratione extensionis ac contraextensionis, conformationis, repositionis, in statum

*) Vide Journal de med. T. XLVIII. p. 254.

ſtatum naturalem et applicationis faſciarum, earundemque renouandarum neceſſitate, ac ſtudio occurrendi ac praécauendi ſymptomatibus grauioribus caſu fortuito accedentibus. His opportuni- p. 24.
tatem nacti ſunt diſſerendi paulo fuſius de via ac ratione faſcias applicandi; ac primum agere geſtiunt *de faſciis chirurgorum in genere.* Altius hiſtoriam p. 25.
illarum ex antiquiſſimis temporibus repetunt, et HIPPOCRATEM, GALENVM, reliquoſque veteres medicos, qui recentioribus facem praetulere, in ſcenam producunt, atque recentiorum chirurgorum ſtudia iuſtis ornant quoque laudibus, ac de recta applicatione, atque emolumentis inde redundantibus pluribus diſſeruere. Faſciis accenſendas *turundas* eſſe tradit, p. 35.
de quarum conficiendi modo, differentia, ac vſu belle loquitur, qualis tela eundem vſum, quales compreſſae debeant, quae ſit longarum, plumaceolorum ratio etc. dilucide proponit, atque varia faſciarum genera ſuccincte deſcribit, inprimis vero p. 45.
auream hanc HIPPOCRATIS regulam in faſciis adaptandis ſeruandam eſſe docet: Vinculi ratio duplex; altera illius, quod iniicitur, altera illius, quod iniectum eſt, Quod iniicitur, vt celeriter, iucunde, promte, eleganter: *celeriter* quidem, vt opus expediatur: *iucunde,* vt facile praeſtetur; *promte*, vt vbique ſit in promtu: *eleganter*, vt oculos delectet — Quod iniectum eſt, vt recte, vt decore: *decore* quidem, vt ſimpliciter, vt diſtincte, aut ſimilibus et aequalibus aequaliter et ſimiliter; aut inaequalibus, et diſſimilibus inaequaliter et diſſimiliter. — Aptetur vero ſpecies ſpeciei, et morbo illius, qui deuincitur. Monitis his, quae circa *faſcias capitis* de- p. 47.
beant fieri, pro partium ſingularum ratione tradit.
*Cap. II. de fractura ſigillatim* praecipit, et primum p. 60.
quidem *de fractura oſſium naſi*, explorandum eſt hic, num lamina perpendicularis oſſis ethmoidei,

oſſis naſalis, fracta ſit, et quomodo funda, accipi-
p. 67. ter, habenae etc. ſint applicanda *Cap.* III. *De fra-*
*ctura apophyſis Zygomaticae.* Ligaturae continentes
p. 68. hic optime conueniunt. *Cap.* IV. *De fractura ma-*
*xillae inferioris*, quot fiat modis, quomodo recom-
p. 75. poſitio ſit facienda, et deligatio. *Cap.* V. *De fractu-*
*ra vertebrarum, oſſis ſacri, ac oſſium innominatorum.*
Effectus cum fracturis vertebrarum partim corporis
ipſius, partim apophyſium proponit, et ſeorſim de
fractura ſingularum vertebrarum agit, ad oſſis ſacri
fracturam oſſis coccygis refert, et fracturas oſſium
innominatorum ex diuerſis regionibus, in quibus
p. 82. factae ſunt, exponit. *Cap.* VI. *De fractura coſtarum*
*et ſterni.* Neque hic deſiderauimus diligentiam et
p. 90. accurationem auctoris. *Cap.* VII. *De fractura homo-*
*platae.* Diuerſi modi, repoſitio et applicatio faſcia-
p. 95. rum recenſentur. *Cap.* VIII. *De fractura clauiculae.*
Supplementum ad hoc caput praeprimis probe ela-
p. 85. boratum eſt, deſcribitur ſiquidem in eodem galea,
faſciatio adhibita a Cl. GOVEY, machina HEISTERI,
p. 104. BRASDORII methodus, aeque ac FLAJANI. *Cap.* IX.
*De fractura oſſium brachii.* Quae in vniuerſum hanc
concernunt, ita ſunt propoſita, vt et eorum vſus in
p. 115. ſingulis fracturis etiam locum habere queat. *Cap.* X.
*De fracturis antibrachii* et cubiti ac radii ſigillatim.
p. 118. *Cap.* XI. *De fracturis oſſium manus*, ex quibus po-
tiſſimum ſignis dignoſcendae ſunt. *Cap.* XII. *De fra-*
*cturis oſſium femoris* te quibus inſtrumentis, quibus
p. 135. HILDANVS et DUVERNEY vſi ſunt. *Cap.* XIII. *De fra-*
*ctura patellae.* Obſeruatio Cl. RUYSCHII commemo-
ratione digna eſt de patellae fractura, quam integram
ſubiicere liceat: ante tres praeter propter annos,
inquit, viſitaui cum magiſtro Petri ADRIANI filio
virum ſatis robuſtum, qui a ponte deſcendens in
terram fere conciderat; imo pede lubrico reſiſtens
tamen, quantum potuit, in terram non fuerat pro-
lapſus;

lapſos; ſed ab illa reſiſtentia tranſuerſim fracta eſt eius patella, adeo quidem euidenter, vt inter vtramque partem locari potuerit manus; vna enim ſupra, altera infra genu ſentiebatur. In ſupplemento methodus FLAIANI et VALENTINI proponitur. *Cap.* p. 142.
XIV. *De fractura oſſium cruralium et pedis.* Nota p. 147.
ſubiecta concernit repoſitionem oſſium, ac deſcriptam offert methodum SHARPII. *Cap.* XV. *De ſe-* p. 156.
*paratione epiphyſium ab oſſibus.* Saepiſſime tales ſeparationes epiphyſium fieri ſolent penes teneriora infantum oſſa, ſi cum violentia quadam mouentur atque tractantur, et ligamenta ita diſtenduntur, vt ſecum vna appendices diuellant. Haud raro cum eiuſmodi ſeparatione ſpina ventoſa coniuncta eſſe ſolet, interdum vero ſpontanea quoque eſt illa diducta, vtraque autem ex certis ſignis non tantum cognoſcitur, ſed et propriam requirit curam. *Cap.* XVI. *De fractura complicata*, tales fracturae ſunt p. 169.
grauioribus ſymptomatibus primariis ac conſecutiuis ſtipatae, cum diſlocatione, tumore, aliiſque.

*Liber* II. *De diſlocatione* ſatis ampliſſimum nobis exhibet commentarium, cuius *Cap.* I. *De diſlo-* p. 187.
*catione in vniuerſum* agit. Omnia quae ad pleniorem notitiam diſlocationis pertinent, hic bene digeſta ſunt. *Cap.* II. *De maxilla inferiore diſlocata.* p. 189.
Inprimis hic VIGONIS et PAREI methodus in perſananda hac diſlocatione vberius paulo exponitur. Duas adiecit obſeruationes, quarum altera eſt Cl. BENEVOLI, qui diſlocationem maxillae obortam a nimia contractione muſculorum, fomentatione partium vicinarum et inunctione olei amygdalarum dulcium ſuſtulit, altera eſt VALSALVAE, quam hic ſubnectimus: A muſculorum iſtius paris, nempe hyopharyngei violenta diſtenſione, quando videlicet nimis copioſa, nec bene manſa ciborum quantitas in pharyngem protruditur, poteſt luxationis

ſpecies ſuccedere in appendicibus cartilagineis ipſius oſſis hyoidis, quod ego in muliere Bononienſi a deglutitione craſſioris boli bouillae carnis non bene manſae obſeruaui: putabat mulier, multiſque impoſuerat ſe diuexari a bolo in faucibus haerente, quem vt inde deturbaret, varia manuum et medicamentorum auxilia tentauit; ſed incaſſum. Itaque elapſum triduum erat abſque eo, quod vllum cibum, vel potum aſſumere potuiſſet; tum denique a me opem quaeſiuit; ego vero omnibus perpenſis, cum in aliqua ex appendicibus cartilagineis oſſis hyoidis luxationem ſuſpicarer, partem, vt anatomica indicabat cognitio, ita digitis contrectaui, vt illico per vnam, vel alteram contrectationem omnia in priſtinam ſanitatem redacta ſint, et immediate, abſque vllo deglutiendi incommodo, iuſculum ſumere, et cibum mulier modo deſperata potuerit.
p. 195. *Cap.* III. *De diſlocatione vertebrarum*, et quidem a cauſa quadam externa, praetereaque cum fractura aut diaſtaſi vertebrae coniuncta, atque vtriuſque cura. Primae vertebrae diductio coniuncta eſt cum medullae ſpinalis commotione, cuius cura ex obſeruatione LA MOTTE proponitur, ſubiuncta eſt diſlocatio coccy-
p. 201. gis. *Cap.* IV. *De diſiunctione oſſium innominatorum*, qua primiparae ex HIPPOCRATIS mente propter inexperientiam dolorum interdum laborant. Olim diſſenſus fuit de hac diſlocatione ſed SEV. PINEUS *) euidentiſſime huius rei veritatem demonſtrauit, atque recentioribus multoque firmioribus argumentis
p. 205. ac experientiis eandem Edd. corroborarunt. *Cap.* V. *De diſlocatione clauiculae.* Duplex illa eſt vel a parte
p. 208. anteriore vel a poſteriori. *Cap.* VI. *De diſlocatione humeri.* Diuerſis in regionibus illa euenit, atque ope ſcalae, portae, bacilli, verſurae, ambae a DUVERNEY correctae, ambae HIPPOCRATIS poteſt curari.

*) de virginitatis not. II. 8.

curari. *Cap.* VII. *De dislocatione antibrachii*, cubi- p. 219.
ti, radii, apophysis coronatae. *Cap.* VIII. *De dis-* p. 225.
*locatione carpi et metacarpi*, aeque ac eorumdem os-
sium sigillatim. *Cap.* IX. *De dislocatione digitorum* p. 229.
cum et sine fractura. *Cap.* X. *De dislocatione femo-* p. 233.
*ris.* Paulo fusius in illa versatus est auctor omnium-
que desideriis satisfecit. *Cap.* XI. *De dislocatione* p. 245.
*patellae et tibiae* cum exemplis tendinum extenso-
rum et cartilaginum semilunarium. *Cap.* XII. *De* p. 251.
*dislocatione pedis*, eiusque repositione atque opera-
tionibus necessario adhibendis. *Cap.* XIII. *De distor-* p. 254.
*sione articulorum, diastasi et dislocatione musculorum.*
Si eiusmodi distorsiones negliguntur, aut male cu-
rantur, effectus inde tristissimi in scenam prodeunt.
Exemplis probis etiam hoc caput vidimus illustra-
tum. *Cap.* XIV. *De anchylosi.* Cum haec vox pe- p. 263.
nes veteres ac recentiores paulo latius patet, accu-
ratam substituit definitionem atque varias eiusdem
species sub censum vocauit. *Cap.* XV. *De ruptura* p. 266.
*tendinum in vniuersum, et sigillatim de ruptura tendi-*
*nis Achillis.* Describuntur hic methodi PETITI,
MONROI, RAVATONI. Totum hoc caput agnoscit
Editores pro suis Auctoribus.

Libro III. ea tractantur, *quae structurae organi-*
*cae minime nocent.* *Cap.* I. *De exostosi, et spina ven-* p. 283.
*tosa.* Primum definitionem et etymologiam spi-
nae ventosae et paedarthrocacis suppeditat, deinde
internas ac externas sub examen vocat exostoses,
et quomodo differant a gummatibus, et quibus re-
mediis gummatibus sit medendum, et exostosibus
ac spinae ventosae. *Cap.* II. *De rhachitide.* Vt pluri- p. 310.
mum causa huius morbi nutricibus est tribuenda,
prouocamusque audacter ad GALENVM *) vere sic p. 315.
scribentem: Thoracis partes plerumque a nutrici-
bus peruertuntur, dum ipsas in prima educatione
extrin-

*) de morborum causis cap. 7.

extrinſecus praue conſtringunt: maxime vero hoc continenter intueri apud nos licet in virginibus, quibus dum ſtudent nutrices eas augere partes, quae circa coxas, ac ilia, quo thoracis partibus maiores fiant, faſciis quibuſdam totum corpus comprehendunt, atque omnes ſcapularum ac thoracis partes vehementer conſtringunt; hinc cum ſaepe inaequalis ſit tenſio, aut pronum in anteriora pectus, aut huic oppoſitae ſpinae partes gibbae redduntur. Accidit autem nonnunquam veluti praefractum in obliquum ſeducit dorſum, ita vt altera ſcapula et non acuta, et parua, et valde compreſſa, altera vero prominens, tumida et omnino maior appareat. Sed concurrunt praeterea aliae cauſae, nam et ſanguis et humores vitioſi eſſe deprehenduntur. Tonica, roborantia, purgantia, emetica, alterantia ſpecifica BOERHAAVII, martialia, ens venereis, ſtomachica et calefacientia proſunt. Tribuendum quamplurimum
p. 342. eſſe cenſet ſali ammoniaco MAJOWII, cuius haec eſt formula: ℞. Sal. volatil. corn. ceru. ſanguin. aut vrin. q. ſ. quibus phiala oblonga immiſſis ſpirit. ſal. rectificat. aut etiam ſulph. per campan. rectificat. guttatim effundat: quoties ebullit, non amplius excitabit: ſal hic reſolutus per filtrum traiiciatur et leni calore ad ſiccitatem ſalis extrahatur. Doſis gr. 3. ad 6. primo mane aut hor. ſomni in liquore ap-
p. 347. propriato. *Cap.* III. *De mollitie, diſſolutione et fragilitate oſſium.* Multis exemplis et extiſpiciis hoc caput egregie illuſtrauit, quibus alia poſſunt addi permulta, vberius rem propoſitam illuſtrantia. Ob recentiores obſeruationes collectas, ob ordinem rerum, accuratas definitiones, ac formularum medicarum copiam hunc librum eo lubentius nos commendare poſſe certiſſime ſumus perſuaſi, quo magis quamplurima in ipſa praxi nobis occurrere, quae accurate

te cum nostri dictis et propositionibus conueniunt. Vnde et eo maiori desiderio optamus, vt reliquorum Voluminum edendorum spes nobis facta mox impleatur, quae eandem nobis vtilitatem praestabunt, cum Cll. Editores suis lucubrationibus eadem instructissima esse iubebunt.

## II.

FRID. MATTHAEI STOY Tentamen de nexu inter matrem et foetum obseruationibus atque experimentis illustrato. Halae Typis Hendelianis. 1786. 8. pagg. 39.

Scripsit Cl. huius dissertationis Auctor in primis de humore lactescente a matre cum foetu communicato, et breui vteri et placentae anatomia proposita, structuraque vteri musculosa negata cellulosam eius fabricam potius defendit, deque valuulis in vasis placentae repertis aduersus REVSIVM et p. 7.
DESAULT dubitat. Mox duas quaestiones mouet qualis sit iste humor inter matrem et foetum stagnans? et quo modo ad foetum deducatur? Itaque non sanguine, sed mobilissimis et subtilissimis lymphatico lacteis humoribus foetum nutriri contendit, omnesque humores lymphaticos tempore grauiditatis ad vterum vehi, intimum connubium inter matricem et mammas intercedere atque humorem lacteum supra placentam effusum detectum fuisse a multis obseruat. Anastomosin vasorum matris et p. 16.
foetus reiicit plane, enarrans, quae obseruauit MECKELIVS filius in vtero per patrem IOANNEM FRIDERICVM iniectionis artificio repleto, quibus declaratur, hocce praeparatum ipsi falsa imposuisse, illudque nulla ratione anastomosin demonstrare atque patefacere.

Quibus

p. 23. Quibus prolatis cum aliis reſorptionem defendit, et refutatis iis argumentis, quae ſanguinem matris craſſum reſorberi perhibent, auctor eſt, materiam tantum chyloſam ad foetum deuehi. Namque vaſa foetus nimis parua ſunt, quam quod matris ſanquinem recipere queant; porro aliae ſecretiones in foetu contingunt, quam quae ex materno ſanguine praeparari poſſint, atque iſte quoque nimio ſtimulo tenellum foetum maxime irritabilem afficiat, veroſimile eſt.

p. 30. Iam vero foetus per humorem chyloſum incrementum et nutritionem, lactis copia excluſo partu ad mammas profluente, idemque ouo demon-
p. 33. ſtrat. Primariam lactis ſecretionem in vtero, alteram in mammis quaerit, atque ſibi perſuaſum habet, humorem lacteſcentem pro diuerſo grauiditatis tempore quoad ſubtilitatem et tenuitatem inter ſe differre.

p. 36. Tandem ſequuntur et in medium producuntur MECKELII filii experimenta in vtero ouino, caprino et ſuillo capta, quae nullam omnino inter vaſa conſpirationem demonſtrarunt.

III.

A Treatiſe on the diſeaſes of children, with Directions for the management of infants from the Birth; eſpecially ſuch as are brought up by Hand. by MICHAEL VNDERWOOD, M. D. Licentiate in Midwifery of the Royal College of Phyſicians in London and Practitioner at the Britiſch Lying Hoſpital. London 1784. 8. pagg. 288.

hoc

hoc eſt:

Tr. de morbis infantum auct. M. VNDERWOOD M. D.

Diuiſus eſt hic tractatus in partes duas, quarum prima diaetam, ſecunda vero morbos infantum comprehendit. Quae cum ita ſint, facile vnicuique apparet atque intelligitur multa in ipſo iam ſatis ſuperque nota eſſe propoſita.

Diagnoſin morborum infantilium non adeo difficilem iudicat, multasque ex nimia ſecretione glandularum gigni obſeruat. Meconium expellendum eſt, vix vero antimonialibus, quemadmodum inter Anglos multis ſolenne eſt medicis. Obuenit ſaepe p. 40.
eryſipelatoſa aliqua inflammatio penes infantes, quae modo digitos et manus obſidet, modo pubis regionem et abdomen, adeo nucham infeſtat et facile in gangraenam abit. Cui opponunt omnium optime corticem, confectionem cardiacam et ſpiritum vinoſum camphoratum. In aphthis maius eſt praeſidium in terreis remediis et lenioribus laxantibus, quam in vino antimoniali poſitum, ſicuti quoque externorum remediorum nulla eſt in aphthis vtilitas et efficacia. Cruſtam lacteam pro ſalutari exanthemate habet, improbans conſilium iſtorum, qui multis ad eam propellendam remediis vtuntur. Con- p. 76.
ſociata eſt ſaepe cum diarrhoea infantum aliqua cutis adſtrictio, quae ſingularem omnino morbum nondum ſatis perſpectum offert. In tuſſi conuul- p. 132.
ſiua laudat aſam foetidam, camphoram, caſtoreum et opium, praeſertim tamen oleum ambrae, quod modo externe dorſo infricat, modo interne ad aliquot guttas exhibet. Scrophulis opponit therapi- p. 145.
am per electrum et ſolutionem camphorae in oleo amygdalarum, quemadmodum PARTINGTONVS per electrum quoque perniones fugauit.

IV.

IV.

D. IO. FRID. BLVMENBACHII *) Med. Prof. P. O. De oculis leucaethiopum et iridis motu commentatio. Goettingae Typis Io. Chrift. Dietrich 1786. 4. c. f. pagg. 38.

In itinere Heluetico verfans incidit in Sabaudia in puerum rofeis oculorum papulis et fingulari capillorum albedine, qui lanae caprinae fimiles erant. Quae obferuatio ipfi fcribendi hanc commentatio-
p. 6. nem opportunitatem praebuit. Defcripto igitur horum puerorum aegrotantium habitu, de hoc vi-
p. 9. fus vitio in vniuerfum difputat. Bruta animalia huic oculorum vitio non nifi ifta calidi fanguinis obnoxia funt; et omnium vulgatiffima exempla funt mures et cuniculi, eftque haec oculorum vitiofa rubedo, quae non nifi fymptomatica eft, iis modo communis animantibus, quae pilorum pellis colore va-
p. 12. riant. Confenfum autem cutem inter atque ocu-
p. 14. los ex fabricae fimilitudine deriuat. Repertum eft pigmentum nigrum et circa afperae arteriae glandulas, in fuperficie pulmonum, in tela cellulofa nerueam et villofam inteftinorum tunicam intercedente, atque conftat parenchymate cellulofo, pinguedinis experte et mox intertextis, mox adiacentibus
p. 17. numerofiffimis vafis fanguiferis. Ligato autem neruo octaui paris nulla coloris iridis mutatio, quam MOLINELLI fe obferuaffe perhibuerat, detecta eft.
p. 18. Morbus leucaethiopum eft connatus, nec raro haereditarius.

p. 20. Altera fectio de iridis motu quadam habet. Vix alia organi vifus pars tam diuerfa eft in diuerfis animalium fpecie-

*) Recufa Germanice *in Magazin für die Naturgefchichte des Menfchen I. Band. I. Stück. Zittau* 1788. 8. *p.* 71. *et* 89.

ſpeciebus, quam iris. In primis Raiae iris mirabilem offert figuram, cuius ſuperior pars in digitatas et dependentes lacinias diuiſa pupillam lunatam et pectinatim exciſam oculis obiicit. Examinat p. 21.
d. auctor et tenuiſſimam cuniculorum alborum et valde craſſam phocae marinae iridem, in cuius anteriore iridis latere, vaſa ſanguifera elegantiſſimo et plane ſingulari modo decurrunt, non enim ipſi vueae membranae intertexta ſunt, ſed innumeris et ſubtiliſſimis anaſtomoſibus inuicem iuncta et magis nuda adiacent, quam inhaerent: ſed adhuc plura alia memorabilia phocae oculus conſpicienda praebet. Eiuſdem e. g. ſclerotica diuerſis in locis variam habet craſſitiem. Quae ſcleroticae regio autem tenuem valde corneam excipit, craſſa eſt et fere cartilaginea; quae hanc ſequitur medium cingens bulbum attenuata et facillime flexilis, reliqua vero, quae fundum oculi occupat, maxime craſſa eſt. Iri- p. 23.
dis origo nexusque optime conſpicitur in ſtrige bubone. Motus mediae zonae iridis bubonis vtroque p. 24.
interim iridis limbo firmo quieſcente continuo fere vndulata laterali oſcillatione leniter fluctuabat et quaſi contremiſcere viſa eſt, vbi diutius fulgidis ſolis radiis exponebatur.

Status iridis naturalis conſiſtit in retractione p. 25.
eius ſeu pupillae dilatatione, violentior autem ſtatus eſt iridis expanſio ſeu pupilla arcta; et expendit Cl. Auctor argumenta, quibus impeditur, quominus opinioni ZINNII, FONTANAE, TORACCAE ſubſcribere poſſit. Experimenta auctoris toties repetita ſummatim eo redeunt, quod in dormientibus neonatis, ſi caute diduxerit palpebras, arctam viderit pupulam, quae vero expergiſcentibus ſubito dilatabatur. Quod autem infanti aliiſque mammalibus iris ſub ſomno expanditur, id a conſuetudinis vi deriuandum eſſe ipſi videtur. Vſus membranae pu- p. 26.

pillaris eſt, vt cum formationem iridis in foetu iuuet, tum vero ad futurum motum eiuſdem facilitandum eandem quaſi praeparet; quando autem incrementum ſuum abſoluerit iris, tunc membrana pu-
p. 28. pillaris euaneſcit. Diſſentit a MORGAGNIO, qui iridis cum retina conſenſum quaerebat in vibrationibus in ipſa lucis impulſu excitatis, quae primum ad ciliare corpus, dein hocce mediante ad ipſam iridem deuenirent; longe probabiliorem exiſtimans eorum opinionem, qui hunc conſenſum ex ſenſo-
p. 29. rio communi repetunt. Obſeruauit PETITVS et cum eodem Auctor noſter, quod vno ſaltem oculo lucis radiis expoſito, huius quoque tantum pupilla arctetur, altera eodem tempore dilatata. Cauſa autem proxima iridis motus, multis premitur difficul-
p. 31. tatibus. Nulli adſunt iridis muſculi, eoſdemque euidenter demonſtrare nondum licuit. Irritabilitatem porro iridi nullam eſſe HALLERI, FONTANAE aliorumque tentamina docuerunt, nullamque detegere potuit fibram muſcularem auctor, neque in humana, neque in phocae vel cuniculorum alborum
p. 32. iride. Non magis locum habet congeſtio humorum ad pupillam arctandam: nullam enim effuſionem contingere, docent oculi in Sabaudicis leucaethiopibus, neque impulſus ſanguinis in ſerpentina iridis vaſa cauſa eſſe poteſt, quia in Phocae marinae iride rete vaſculoſum non ipſi eius ſubſtantiae intertextum, ſed laxe modo inſtratum eſt. Porro obſeruat Auct. iridis motum ne hilum quidem cordis motu turbato mutari. Itaque ad aliam explicationem confugit, iridis motum ex vita eius propria obſcure deriuans.

V.

De Neruis crotaphitico et buccinatorio auctore I. B. PALLETTA Ph. et Med. Doct. et Noſoc. Maio-

Maioris Mediol. Chir. Ordin. Mediolani 1784. Typis Imperialis Monasterii S. Ambrosii Maioris. 4. c. f. pagg. 38.

Praefatus de veterum in neurologiam meritis, noua inuenta MALACARNAEI Viri Celeberr. de originibus neruorum commemorat, postea et sua addit. Dura mater vbi processui clinoideo poste- p. 9.
riori adnectitur in duas secedit laminas, quarum inferior sinui cauernoso et fossae mediae baseos cranii insidet, superior autem priori supertensa margine extremo tereti foramen relinquit oualis figurae, quod neruus quintae coniugationis subit. Ganglion GVSSERI, quod WRISBERGIVS intumescentiam semilunarem vocauit, quodque zonam refert, quae latum quinti paris truncum reuincit, cum MALACARNAEO armillam nuncupauit. Exponit quo- p. 15.
que de neruo ad par tertium accessorio MALACAR- p. 19.
NAEI et taxat Wrisbergianam de ortu quinti paris iconem. Porro veterem morem neruos per con- p. 22.
iugationes numerandi improbat, istosque longe melius rei anatomicae consulere affirmat, qui neruorum nomina a munere ipsorum desumunt. Quam- p. 28.
uis non omni ex parte sequatur MECKELIVM, tamen eius horum neruorum descriptionem absolutissimam appellat. Vrget autem in primis neruum crotaphiticum et temporalem non esse trunci maxillaris inferioris sobboles, atque monet varietates aliquas caeteris esse praeteruisas. Emittit autem crotaphiticus massetericum et duos temporales, buccinatorius vero potissimum progignit buccinatorio-labialem et pterygoideum. Tandem de trismo ali- p. 33.
qua leguntur.

Quae cum ita sint, facile apparet perpauca noua obseruata in hocce opusculo, quamquam non vtilitate sua destituantur, contineri; neque icones adeo multum valent, nam obsoletae nimis sunt neque satis distinctae.

VI.

A Diſſertation on the Theory and Cure of the Cataract: in which the Practice of Extraction is ſupported; and that Operation in its preſent improved ſtate is particularly deſcribed: by IONATHAN WATHEN Surgeon. London. 1785. 8. pagg. 166.

h. e.

Diſſ. de via et methodo ſuffuſionem per extractionem curandi auct I. WATHEN.

Commemorat tres ſuffuſionis ſpecies, quarum vera ſiue genuina ipſam lentem obſcurat, altera inter velamentum lentis atque ipſum humorem cryſtallinum ſedem habet, tertia obſcuratum velamen-
p. 8. tum ſolum cauſam agnoſcit. De cauſis ſuffuſionis exponens animaduertit MAGISTRI IOANNIS et ST. YVESII opiniones multum ad commendationem eius methodi, ſecundum quam lens in operatione demittitur, contuliſſe; quapropter iſtorum argumen-
p. 19. ta eo expeditius remouere ſtudet. Non ſemel tantum cum cataracta guttam ſerenam coniunctam vidit, quamuis pupillae dilatatio atque contractio ad-
p. 30. huc obſeruaretur. Iam vero varia exempla ſuffuſionum profert, quae vel ſponte euanuerunt, vel per
p. 34. electrum fugatae prorſus ſunt. De curatione ſuffuſionis lacteae, cinereae, flauicantis, coeruleae, et rubicundae, parum ſperare iubet, cum iſtae ſpecies ſaepiſſime ſint coniunctae cum capitis affectibus. Cephalalgia et alii acuti chronici morbi curationi per ferramenta in primis quoque obſunt.

p. 48. Poſtea plura, quamuis non ſatis idonea argumenta curationi per acum opponit atque monet TAYLORVM, CYRVM, HILMERVM ſaepe infelices in

in deponenda suffusione fuisse. Mox fata alterius methodi, extractionis nimirum enarrat, atque artificium eam perficiendi describit. CHALIBERTI p. 94. instrumentum ad figendum oculum durante operatione nihil valere auctor est, atque ipse fatetur, se atque ELSIVM multam operam et oleum saepe perdidisse in excogitando ferramento, quo possit oculus immobilis praestari, tandem cognouisse solo digito opus esse. Extracta cataracta non protinus p. 96. sed sensim digitus remouendus est, ne nimius humor vitreus prodeat. Aduersatur RICHTERO, qui p. 119. lentis velamentum anterius repetitis ictibus dilacerandum et destruendum praecipit atque tristem exitum tales operationes secutum esse animaduertit. Peracta encheiresi superior palpebra primum tegat p. 128. oculum, postea etiam inferior, alias cilia inferioris facile in vulnus incidunt atque pessima symptomata mouent. Praeter inflammationem, extractionem p. 133. coalitus capsulae cum pupilla, et inflammationem retinae nimis ampliata pupilla sequitur.

Suffusionis spuriae quoque tres species agnoscit; p. 139. prima, quae etiam secundaria cataracta appellata, in opacitate capsulae posita est, altera nascitur, si aduentitia membrana in camera postica humoris aquei gignitur, atque membranaceae nomen deportauit; tertia a pure stagnante in camera humoris aquei antica procreatur. In diagnosi cataractae membranaceae, auctore nostro admonente DAVIEL, HEVERMANNVS et RICHTERVS saepe errores commiserunt. Denique de curatione harum spuriarum suffusionum Cl. WATHEN loquitur.

## VII.

## Nouvelles instructives, Bibliographiques, Historiques et Critiques de Médecine et de Chirurgie,

rurgie, ou recueil raiſonné de tout ce qu'il importe d'apprendre chaque Année pour étre au courant des connoiſſances relatives à l'Art de guérir Année 1785. pag. 245. Année 1786. Tome ſecond p. 591. Année 1787. Tome troiſième par M. RETZ à Paris, chez Méquignon, l'aine, Libraire, 12. 558 pagg.

i. e.

Relationes nouae litterariae, bibliographicae, hiſtoricae ac criticae de medicina et chirurgia, ſiue collectio rationem reddens de omnibus, quae in vnoquoque anno cognitu neceſſaria facta ſunt artem medendi concernentia de a. 1785. 1786, 1787. etc.

Perutilis ille libellus ita ſcriptus eſt, vt A. Cl. propter diligentiam in rebus nouis conquirendis et proponendis laudare tenemur, non tantum multorum recens editorum ſcriptorum notitiam ad lectores peruenire voluit, ſed etiam ſic dictos periodicos commentarios conſuluit et excerpſit diligentiſſime, atque relationes quoque ſcriptas ad ipſum tranſmiſſas inſeruit. Praeterea cognouimus eum ab omni partium ſtudio eſſe remotum atque iudicia ipſius eſſe modeſta ac ita comparata, vt neque Momi aut Catonis ſeueritatem et rigorem immitem prae ſe ferant, neque ex blanda indulgentia profecta eſſe videantur.

Tom. I. p. 1. *Articulus* I. exhibet *Calendarium* medicis aeque ac aegrotantibus proficuum, cui tanquam *art.* II. ſubiunctae ſunt *obſeruationes meteorologicae ac noſologicae*, quibus declaratur, quinam morbi vnicuique menſi

mensi propter coeli conditionem quam maxime proprii sint, et qua ratione ab illis praeseruare corpus humanum queamus. *Art.* III. continet *libros medicos et chirurgicos*, Francogallicos aeque ac exteros, de anno 1784. quae Parisiis Nostro innotuerunt, in quibus libris recensendis ita versatus est, vt malos et mediocres penitus excludendo eos tantummodo commemorauerit, quibus vtilitati et commodis lectorum consuleret et rerum propositarum ac inuentionum nouitate animos ipsorum instructissimos redderet ac oblectaret. Librorum recensiones sunt 43. *Art.* IV. *medicorum scripta a.* 84. *demortuorum* recensentur, quo eos sibi deuinxit quam maxime, qui biopraphias medicorum concinnare atque Lexica eruditorum virorum conficere solent. Ordine autem Cl. RAVLIN, et dein Cl. BOSC D'ANTIC scripta commemorat, ita tamen vt et vberiori sermone lectores de illis instruat. *Art.* V. *Nouas inuentiones* proponit hinc et illinc in Diariis et Ephemeridibus indicatas cum ipsius epicrisi. Insunt autem 72 tales nouae res. *Art.* VI. *exhibet remediorum indicem*, in quo v. c. describit puluerem Ailhaud, Elixirium stomachicum Acheri, etc. obseruationibus vtilissimis adiectis. Mentionem vero etiam facit nugarum, histrionum nostris temporibus clarissimorum, magnetismi scilicet animalis, praesidii aduersus sterilitatem a GRAHAMO commendati thrasonico more, etc. *Art.* VII. praecipit *de praemiis a nonnullis Academiis* quaestionum quarundam soluendarum gratia *propositis*, videlicet Academiae medicae Parisinae, scientiarum et Artium Diuionensis, Lugdunensis, Bruxellensis, Tolosatiensis, Burdegalensis, Andegauiensis, Sienensis, Harlemensis, Mantuanae ac Academiae chirurgicae Parisinae. *Art.* VIII. proponit *catalogum lectionum publicarum et priuatarum omnium Medicorum Parisinorum* secundum doctrinarum

p. 2. p. 104. p. 121. p. 146. p. 192. p. 202.

p. 210. rum ordinem. *Art.* IX. *ordine alphabetico doctores et medici nominantur*, indicato ſimul vniuſcuiuſque domicilio, qui in vniuerſum numero 206 ſunt. *Art.*
p. 232. X. ſiſtit *Indicem Auctorum, morborum ac remediorum.* Promittit vero Cl. A. ſe in hanc collectionem libenter recepturum eſſe commentationes bene exaratas, quae cum conſilio et propoſito huius libri conueniunt, et quae ſpectant ad morbos epidemicos, aut quae continent obſeruationes nouas ac perutiles de aliis morbis. Commentationes quoque praemii cauſa ſcriptae, quae tamen illo non fuere ornati, ob praeſtantiam, qua ſunt vt plurimum elaboratae, inſerere conſtituit. Grato quoque animo notitias de defunctis per vnumquemque annum medicis eorumque ſcriptis ſe eſſe accepturum, eaſque ſuo libro omni fide atque dexteritate adiecturum pollicetur. Neque recuſabit iis locum concedere obſeruationibus, quibus remediorum ab agyrtis et erronibus laudatorum vanitas declaratur, et in vniuerſum omnes relationes ſibi acceptas fore atque gratas profitetur, quae ſolutis vectigalibus ad ipſius manus peruenient.

T. II. In fronte II. Tomi profitetur Cl. A. ſe eodem modo verſaturum eſſe in reliquis concinnandis, immutatis tantummodo paucis ſuaſu ſuorum amicorum, cum enim conſilium eo pertineat, vt Bibliotheca vniuerſalis portatilis in vſum medicorum, Chirurgorum ac pharmacopoeorum eſſe debeat, tantummodo ea, quae concernunt medicinam proprie ſic dictam hic locum inuenient, et quae ſimul ſpectant ad eius incrementa et ad perfectionem pertinent, repudiatis omnibus iis quae huic fini obſtare videntur. Calendarium *) vero huic Tomo non praepo-

*) Haud dubie propterea id factum, quia eodem anno Pariſiis calendarium prodiit medicum, cuius titulus: *Calenda-*

praepoſitum eſt, et libri ſuperioris anni, qui nimis tarde ad notitiam auctoris peruenere, aſteriſco notati hic conſpiciuntur, vt quantum fieri poſſet, hae relationes completae ac omnibus numeris abſolutae fierent.

*Art.* I. igitur continet *obſeruationes ſuper cauſas* p. 1.
*morborum qui Pariſinos inuadunt*, *et ſuper remedia quibus* illis poteſt praecaueri. Omnes autem morbos populares originem ex aere atmoſphaerico aeque ac aere variis impuritatibus repleto, et ſi quidam aſſueſcere nolint corpora variis tempeſtatum viciſſitu-
dinibus repetit. Victus lautus et potiones calefacientes p. 22.
morborum catalogum mirum augent in modum,
animi pathemata concitata ſymbolam conferunt p. 28.
ſuam, et denique artes doloſae medicorum fumum p. 32.
vendentium: praeſidia vero quibus praecaueri talibus p. 35.
morbis poteſt quadraginta proponuntur aphoriſmis.
*Art.* II. commemorat *libros anno* 1785. *editos vna* p. 49.
*cum ſupplemento librorum de a* 1784. attamen non omnes hic allegantur, ſed tantummodo praeſtantiores, e quibus maxima in medicinam commoda redundant, tres autem habet hic articulus ſectiones, p. 54.
quarum prior medicinam ſpectat et 67 libros recen-
ſet, poſterior ad chirurgiam pertinet, continet 15 li- p. 330.
bros et vltima verſatur circa pharmaciam 5 libros p. 373.
complectens. In vniuerſum igitur hic 87. exſtant
recenſiones. *Art.* III. refertus eſt *miſcellaneis qui-* p. 395.
*buſdam* ſiue commentariis ex variis obſeruationibus,

Ee 5 commen-

*Calendarium medicum ad vſum ſaluberrimae facultatis exhibens doctorum actu regentium, aliorumque nomina, Necrologium, res in gremio facultatis geſtas per annum academicum proxime elapſum, aliaſque ad medicinae hiſtoriam ſpectantes* Paris, Typis Quilla 1786. Titulus omnia continet et GAVTHIER, VACHER et DE BROTONNE memoria hic legitur, vna cum ſcriptis.

commentariis et aliis ſcriptis excerptis, vti et ex manuſcriptis cum auctore beneuole communicatis, non tantum vero tales hic leguntur, qui ſanitati conſeruandae inſeruire poſſunt quam maxime, ſed etiam eiuſmodi, quibus errores multi conuelluntur, et qui etiam de nouis et vtilibus rebus nos inſtruunt, quibus ea quae periculoſa videntur commode refutari poſſunt. Multa ex Diario ad medicinam, chirurgiam et pharmaciam pertinente, ex Diario ad medicinam militarem, ex Nouis Ephemeridibus ſanitatis, ex Diario Pariſino aliiſque huc tranſlata ſunt.

p. 511. *Art.* IV. proponit *remedia et quae ſub nomine arcanorum veniunt*, et de quibus optandum eſſet, vt ob amorem erga genus humanum penitus proſcriberentur. Ad hanc claſſem iure meritoque refert auctor abuſum electricitatis, theam ſanitatis ſiue puluerem vitae prolongandae deſtinatum, Cafeam ſanitatis Frehehardi, aliaque eiuſdem furfuris.

T. III. Tertius tomus aeque repletus eſt rebus vtiliſſi-
p. 1. mis atque ſaluberrimis, ſiquidem *articulo* I. *obſeruationes ſuper conſtitutionem atmoſphaerae atque climatis* leguntur, et illae tanquam cauſae morborum popularium conſiderantur. Docte et eleganter iis explicatis ſuis verbis vim ac robur ex factis allegatis
p. 38. et experientiis allatis conciliare ſtudet. Inprimis vero prouocat ad obſeruationes ſuper dyſenteria graſſante in Britannia anno 1779, inſtitutas conſignataſque litteris in Diario medico militari, cuius cauſas curamque deſcribit paulo vberius. Haec vero deſcriptio huius dyſenteriae ad alias cogitatio-
p. 47. nes Noſtro viam pandit, ad aliam communem veritatem, ſcilicet morbos militum pendere a conſtitutione climatum, in quibus ſunt et in quibus aliquandiu ſunt commorati, et ideo quoque apta et conuenientiſſima remedia ipſis applicari poſſe nequaquam, niſi clima ipſius accuratius cognouerimus,

mus, medicamque geographiam nobis comparaue-
rimus, et conſilium ſuum de legitimo eiuſmodi geo-
graphiae medicae ſtudio procurandorum commo-
dorum et periculorum euitandorum gratia propo-
nit ingenue. Deinde pergit ad morborum emi- p. 61.
grantium deſcriptionem, ac remedia prophylactica.
*Art.* II. complectitur *ſcripta anno* 1786 *edita, ſub-* p. 77.
*iunctis qui de anno* 1785 *paulo tardius in Noſtri ve-*
*nere notitiam.* Eundem fere ordinem ſeruauit, p. 364.
quam in praecedentibus, praeterquam quod quae-
dam de opuſculis adiecerit academicis. Recenſio-
num autem numerum 66. explet. *Art.* III. tractat p. 411.
*miſcellanea, ſiue commentarios de variis commentatio-*
*nibus, obſeruationibus aliiſque ſcriptis medicis, quorum*
*in antecedentibus facta non eſt mentio, aut qui tan-*
*tummodo manu exarati auctori fuere exhibiti.* No-
ſtram attentionem praecipue mereri videtur deſcri-
ptio nouae ſectae inter medicos ortae ſub nomine
epidemiſtarum, ſub quibus tales intelliguntur me-
dici, qui epidemias obſeruare ac curare ſuſtinent, ita
vt vnamquamque ſecundum proprium quoddam ob-
ſeruent et tractent ſyſtema, neque regulas artis in ſub-
ſidium vocent, quae tamen viam monſtrant qua opi-
niones inter ſe conciliandae et quomodo aequali ra-
tione dirigenda ſit in ſimilibus caſibus ipſa curatio.
Omnia huius ſectae principia eo tendunt, vt nobis p. 417.
perſuadeant 1) omnes morbos epidemicos curari
poſſe, ſi tantummodo obſeruationes de his collegе-
rimus morbis 2) nos obſtrictos eſſe fidem habere
his animaduerſionibus ſuper obſeruationibus cum
illis communicatis, in quibus, nullo reſpectu habito
naturae, cauſarum et medelae morborum epidemi-
corum, tantum factis innituntur, ex quibus omnia,
quae hic occurrunt, ſe decidere poſſe credunt 3) ſe
habere cauſas ſemper grauiſſimas, quibus ſuis ſuffra-
giis auctoritatem conciliare debeant concluſionibus
in

in praxi ab obſeruatoribus factis, quae tamen ſaepiſſime ſunt contrariae aliis obſeruationibus eiuſdem ſortis ac indolis, aut reprobantur ab ipſa ratione, aut per experientiam ipſam pro falſis declarantur. Res ipſa loquitur hanc ſectam noua molientem aegris eſſe pernicioſiſſimam, dignitati atque auctoritati artis aduerſam, et noxiam, cum erroribus faueat, eoſ-
p. 466. que laudet, quibus multa damna producuntur. Neque minori animaduerſione digna eſt commentatio *de proprietatibus propriis pharmacopoei* ex diſpenſatorio VALERII CORDI Medici ſeculi XV. excerpta et per M. BALBOT traducta, quae egregia praecepta atque monita continet, noſque docet veterum ſcriptis multa vtilia ineſſe, quae pro more ſeculi noſtri nequaquam ſunt ſpernenda aut reiicienda. *Art.*
p. 474. IV. *de variis remediis* praecipit, chirurgis, artis obſtetriciae magiſtris, pharmacopoeiſque praeſcribendis, aliaque tradit, quae ſanitati publicae vtiliſſima ſunt. Sigillatim vero Rob antiſyphiliticum *Affe-*
p. 504. *cteuri*, puluis *Godernaux*, noua methodus adminiſtrandi mercurium ſublimatum in morbis venereis *Maurani*, remedium antiuenereum *Andrieu*, et aqua
p. 522. auri dicta ſub cenſum vocantur. Nugae vero hiſtrionicae hic quoque perſtringuntur, et ad hanc claſſem referuntur *Bala*, ſiue magnetiſmus animalis denuo in lucem protractus in America, reliquiae de ſomnambuliſmo magnetico, ars infantes pro arbitrio producendi, auctore *Henkio*, Muſico Germano, vulgaria, antiqua et centies dicta quid quod et falſa hic proferuntur, quae ingenium Germani dedecent. Vltimo denique loco vromantia *Algaron* commemoratur, quippe qui in porta quadam ad ambulacra ducens in ſuburbium S. Germani characteribus maiuſculis, in fronte domus affixit ſchedam: *Domicilium Algaroni Experientiſſimi in cognoſcendis*

*morbis*

*morbis ex vroſcopia.* Frequentia hominum adit illum et fata ſua cognoſcere cupit, ſoluitque libenter deceptionis ſuae vectigalia impoſita.

## VIII.

## Memoria per ſervire alla ſtoria de' polipi marini di FILIPPO CAVELINI, ſocio di varie accademie in Napoli 1785. 4. p. 114. c. f.

i. e.

## Commentatio hiſtorica de polypis marinis.

Quicumque bene in cognoſcendis polypis marinis verſari cupit, ea inprimis in animo repetat quaeſumus, quae TREMBLEY *) de iis litteris conſignauit, ſic enim facilius in horum naturam inquirere, eoſdemque a reliquis ſpeciebus probe poterit diſtinguere. Duas autem commentationes noſtri iam manibus noſtris terimus, quarum prior de Gorgonia, Corallis, madreporis et milleporis agit. In p. 7.
Gorgonia deſcribenda nos monet latius patere notationem nominis polypi, ſiquidem ſub ea polypos proprie ſic dictos, Zoophyta, plantas animales, lithophyta, ceratophyta tanquam totidem ſynonyma comprehendit. Illa Gorgonia hic examini ſubiecta eſt, Gorgonia verrucoſa, alias Meduſa dicta, cuius figuram exhibuit, eiuſque organa, ſimultatque generationis modum adhuc multis premi difficultatibus contendit, ope microſcopiorum vterum in iiſdem detegit, internam autem ſtructuram per inciſiones p. 21.
indagare ſtuduit, atque ſic deſcripſit: Animal inſtar p. 29.
vegetabilis, radicatum, baſi explanata, ramoſum: corio parenchymatoſo, ſemicalcareo, rubro colorato;

*) Memoires pour ſervir a l' hiſtoire d' vn genre des polypes, etc. à Leide 1744.

to; membrana interiore se indurante in sceleton corneum; externe exserente organa mollissima, sentientia, cylindracea, albo pellucida, rubro irrorata, sponte se mouentia, in capsulas clausiles, margine denticulatas se recipientia; tentaculata, tentaculis octonis, denticulato pinnatis, in quorum centro os cibum ingurgitans vaginis intra tentacula, exserentibus ouaria ex ouis innumeris membrana molli obuolutis.

p. 32. *Corallus* ornamentum est maris optime descriptus a FERD. MARSILIO et VITAL. DONATI. LINNEVS, Isidem nobilem vocat, alios vt taceamus Bene de iis OVIDIVS*).

*Nunc quoque coraliis eadem natura remansit,*
*Duritiem tacto capiant vt ab aere, quodque*
*Vimen in aequore erat, fiat super aequora saxum.*

p. 48. Madrepora tertio exhibetur loco, a piscatoribus petra pretiosa, a LINNEO madrepora calycularis appellata. En hic descriptionem: Coralium ex cylindris coadunatis, confertis, externe parum transuerse rugosis, stellis in disco profunde excauatis, radiatim lamellatis, centro prominulo, foraminulato, sustinet animalia Actiniis similia, singulum cuique stellae implantatum, sed basi connexa, cylindracea, purpureo mire splendentia, disco superne margine tentaculato, tentaculis breuibus, non simplici ordine, confertis, hinc, illuc diuergentibus, in quorum centro os, labio inflatili, vnde varia oris apertura: vaginae longitudinales; vuluae inter tentacula, vnde ouaria globiformia ex ouis innumeris. Addidit huic madreporam denudatam, nouam speciem, eandem cum praecedente sed Coralium desideratur.

p. 59. Milleporam vltimo loco posuit. Varias milleporae species descripsit Noster, scilicet milleporam nudatam, milleporam truncatam, milleporam cellulosam

*) Metam. Lib. IV. Fab. XI. v. 88.

lulosam cum serpolla, milleporam spongitem, illam speciem polypum idram repraesentantem et milleporam curdoncellam. Descriptio autem milleporae LINNEI haec est: Animal hydrae affine, crusta calcarea vndique obtectum, foraminibus perforata innumeris, exilissimis, vnde exserit capitula, seu ora cylindracea, superne tentaculata, tentaculis mirae tenuitatis in coronam infundibuliformem dispositis; sensu exquisito, mobilissima, motu retractili intra foramina. Variat figura nunc caulescenti dichotoma; vel membranacea reticulata, turbinato vndulata, vel membranaceo foraminibus e centro seriatis etc. p. 72.

Finit hanc commentationem quibusdam obseruationibus, quibus polypos descriptos illustrat, eosque necessario ad catenam rerum naturalium pertinere asserit, atque ex alcyonio cydonio Linnei multa ad rem suam trahit, structurae simplicis et similaris conuenientiam declarat, animal radicatum illud appellat, in eius facultatem locomotiuam inquirit, polypos palustres eorumque differentiam indicat, eorum productionem a liquore fecundante deducit, qui stimulando et nutriendo agit atque reproductionem simul innuit. Fungos vegetabiles vocat sub censum, et fucos marinos; calcem a vermibus oriri statuit, et irritabilitatem hic propriam exponit, atque polypis adeo instinctum ingeniose satis tribuit. p. 75.

Altera commentatio nouam disquisitionem de Gorgonia et madrepora, confirmantem praecedentem dissertationem sistit. Institutis experimentis cum Gorgonia ope microscopiorum multa detexit A. detruncata enim gorgonia verrucosa in mare immissa, intellexit, qualem reproductio efficiat faciem. Exsiccatam quoque examinauit, atque phaenomena in conspectum venientia descripsit, atque adstruit earum p. 85. p. 88. p. 97.

earum transſformationem e regno vegetabili in ani-
p. 98. male. Examini per experimenta madrepora caly-
p. 100. cularis ſubiecta eſt, atque experimenta addita ſunt de earum euolutione ſucceſſiua, ouula propterea inquiſiuit praeſentibus Cl. VINC. ANDREA, atque
p. 104. ANGIOLO FASANO. Vidit autem vaginis intra tentacula exſerentibus oua viua, ouato oblonga, purpuraſcentia, ſe affigentia, et in Gorgonias ſe aperientia, quae primum ſcapo vnico, in ramos dein diſperguntur. Has porro Gorgonias euulſas liberaſque aeque viuere, mutilatas redintegrari, portiunculis multiplicari, exoſſatas regenerari, mixtas inſeri, inuerſas reſtitui, docuerunt nuperae obſer-
p. 113. uationes. Tandem primum initium Gorgoniarum papillam eſſe ſupra rupes ſubmarinas, aliaue aequore obruta corpora ſolida, explanata, cortice primum ſolo, eodem, qui totum deinde fruticem tegit, conſtans, deinde et lamellam corneam generans, e cuius auctae centro ſenſim pullulaſcit futura ſtirps, et ſecundum praefixam ſuae ſpeciei legem in ramos ſpargitur et Madreporam; primordium eſt ſtella ſolitaria, quae primo verruculae inſtar marinis corporibus accreſcit et aucta laterales generat proles.

Caeterum optimos quoſque auctores conſuluit Auct. atque ex MALPIGHII, HALLERI, SPALLANZANI etc. ſcriptis hanc egregiam, quam cum intimo voluptatis perlegimus ſenſu, atque maximam exinde percepimus vtilitatem, illuſtrauit commentationem.

## IX.

Inſtruction ſommaire ſur le traitement des maladies véneriénnes dans les campagnes. Lue dans la Séance tenue au Louvre par la ſocieté royale de médecine le 12 ſept. 1786. Redigée et publiée par ordre du gouvernement,

à

à Paris chez Pierres, et à Nanci chez la Veuv le Clerc, 1786. in 8. de 48 pag.

i. e.

Breuis instructio de curanda lue venerea penes exercitum castrensem, etc.

Nos illa instructio statim ab initio instruit, luem veneream, alias in castris minus cognitam, atque frequentem, obortam fuisse penes quosdam, et dissipatam per eos potissimum qui castra posuerunt, quos aestatis tempore in vrbem reuocare necessitas exigere videbatur. Hi igitur reduces cum aliis aeque infectis, istud contagium cum suis communicarunt mulieribus, quorum quidem nonnulli prorsus inscii erant de sua infectione, nonnulli contra ab agyrtis peruerse curati. Sed illud huius mali enormis contagium non tantum penetrauit ad mulieres, vt pote quae ob coniugia isti sunt praeprimis expositae, sed etiam ipsi infantes simul ab hoc corripiuntur contagio, et breui vniuersa quaedam respublica a virulentia ignorata et ignota ita tentatur, vt soboles et progenies, in quam omnis spes patriae ob rei agrariae studium et reipublicae defensionem est posita, pessundetur, et ciuitates ob ciuium futurorum iacturam conquerantur. Haec potissimum argumenta administrationi prouinciae in tabula quasi proposita sunt, eum praecipue in finem, vt praesidia optima, quibus effectibus tristissimis inde pendentibus occurri possit, eligeret. Huius rei causa administratores prouinciae societati regiae medicae commiserunt, vt instructionem aliquam concinnaret, quae in vrbibus chirurgis minus exercitatis et non satis de via ac ratione huic malo medendi instructis, normae loco esse possit, qua in persanando hoc malo vti debeant, et de remediis simplicibus, tutis p. 4.

ac minori pretio comparandis cogitent, quibus hoc contagium ſit inhibendum. Protinus huic conſilio optimo ac generi humano maxime ſalutari regia ſocietatis annuere cenſuit, atque duumuiris Cl. DE LASSONE et HORNE officium eiuſmodi inſtructionis conſcribendae impoſuit. Ardua ſane res eſt multiſque implicita difficultatibus, ſi quis ex aſſe voluntati adminiſtratorum prouinciae ſatiſfacere velit, ſi enim quis tantummodo breuiter ac praeciſe curam luis venereae tractandam ſibi ſumere cupiat, timendum eſt, vt multa empirice tantum proponenda ſint, et ſi quis vberius eandem deſcribere tentet, atque opus omnibus numeris abſolutum perficere, ille ſane nimium a propoſito conſilioque adminiſtratorum recedet. Igitur ne in deuia abducerentur Cl. DE LASSONE et HORNE mediam ſibi elegere viam, deſcribendo quantum fieri potuit cum praeciſione tali, quae perſpicuitati nequaquam eſt aduerſa, varia luis venereae ſymptomata, quae penes quoſdam deprehenduntur, et in quibus non ſemper eruptiones puſtularum veniunt in conſpectum, propriam et vnicuique ſymptomati conuenientem medendi rationem principiis rationis et artis ſuperſtructam propoſuerunt, qua non tantum vera fit curatio, ſed etiam praecauetur, ne in alios morbos fiat degeneratio. Tandem de ipſa lue venerea confirmata tractatur vna cum remediis tutis, efficacibus ac longo vſu comprobatis. Nobis non monentibus patet quaenam ſumma ſit huius libelli, ſiquidem, de ſtranguria, vlceribus gangraenoſis, bubonibus, phimoſi, paraphimoſi, puſtulis, variis excreſcentiis venereis, exoſtoſi, carie, et lue venerea confirmata hic exactius agitur. Medendi ipſa ratio admodum eſt facilis, et ipſa medicamina quam ſimpliciſſima, neque omni deſtituta gratia, quo eo lubentius aſſumi queant. Exempli loco commemorandus eſt

a no-

a nobis ſyrupus antiuenereus, cuius media menſura Francogallica (Pinte) ſufficit lui venereae confirmatae ſanandae, etſi paulo eſt pertinacior, dimidia etiamnum addi poteſt. Ipſa confectio haec eſt: p. 41.
Vnciae quatuor Raſurae Guajaci in tribus ſextariis dimidiis aquae ebulliant, ad reſiduum quartae partis menſurae, in decoctum depuratum et colatum iniiciatur libra vna et dimidia Caſſonadae, qua ſoluta et per filtrum traiecta ipſi cum oui albumine concilietur pelluciditas et coquatur dein ad ſyrupi conſiſtentiam, tota maſſa etiamnum calida immittatur in fictile ac cum eadem permiſceantur duodecim grana mercurii ſublimati et vncia vna ſpiritus vini aut frumenti, haec ſolutio permixta cum ſyrupo exacte et refrigerata ſeruetur in lagena obturata ad vſus. Matutino tempore vnum cochlear ſyrupi aſſumitur cum media menſura ptiſanae ex lini ſeminibus parata, quatuor diebus peractis doſis dimidio cochleari augetur vſque ad octauum diem, et tandem duorum cochlearium doſis quotidie aſſumenda donec tota portio in lagena ſit conſumta. Remanentibus autem ſymptomatibus dimidia lagena ebibi adhuc eodem modo poteſt. Haec methodus poteſt adhiberi in corporibus robuſtis, atque ptiſanae ex ſeminibus lini factae ſubſtitui poteſt ptiſana ex guajaco, quae quibuſdam melius conuenire videtur. Iunioribus autem vna menſura media ſyrupi curae abſoluendae ſufficere videtur, quippe qui non tantis ſcatent impuritatibus.

X.

Diſſertatio medica inauguralis de abortu, quam eruditorum examini ſubmittit CHRISTI. HENR. AVG. de SCHAVMBVRG, Groningae apud Theod. Spoormaker, CIƆIƆCCLXXXIV. pagg. 20. 4.

 Inqui-

Inquirit ac finit accurate Cl. A. ante omnia abortum, atque monet interdum perperam abortum dici, si oua humana nondum vteri superficiei annexa, sine notabili sanguinis emissione, sine magno partus labore, paucisque cum doloribus, ita vt foetum distincte cognoscere haud possimus, aliquando
p. 3. primo mense emittuntur. Vnde varia tempora, quibus foetus ex vtero expellitur, varias vt statuamus exclusionis foetus ex vtero species nos iubent, quae quinque esse possunt 1. Expulsio nimirum ouulorum superficiei vteri non annexorum, quae primo grauiditatis tempore contingit atque abortum improprie dictum constituit. 2. Abortus proprie dictus, quippe qui a secundo vsque ad septimum grauiditatis mensem fit. 3. Partus praematurus est, quando foetus scilicet a septimo grauiditatis mense, vel interuallo isto vsque ad finem noni mensis excluditur. 4 Partus maturus seu perfectus dicitur, qui nono consummato mense, aut paulo ante contingit. 5. Partus serotinus aut retardatus, post nonum fit
p. 4. mensem. Ex his declarat A. quaenam differentia intercedat inter immaturum foetum, abortum, partum praematurum, partum maturum seu perfectum
p. 5. et partum serotinum, ac definit satis accurate quonam grauiditatis tempore quaelibet species expulsio-
p. 7. nis foetus ex vtero locum habeat. In causis autem recensendis primo loco ponit causas, quae in semine virili sunt, si non rite praeparatum ac elaboratum est, et si nimium indulgendo voluptatibus viri totum corpus solidorum et inprimis systema neruosum ita debilitarunt, vt non amplius semen probum ac bonae indolis possit praeparari. Alteram classem constituunt causae quae in sexu femineo abortibus ansam praebent, quorsum refertur, vteri ipsius contractilitas nimia, irritabilitas ingens, stricta fibrarum tensio, debilitas, humorum ad alendum infantem defectus, pletho-

plethora, vitia topica vteri, prolapſus, cancer, hydrops, varia veſicae vrinariae vitia, medicamenta irritantia, animi pathemata, exercitationes fortiores, aetas nimis tenera, excretio lactis durante grauiditate. inedia. Tertio loco cauſae in foetu ipſo quae- p. 14.
rendae, in monſtroſa foetus magnitudine, in complurium foetuum, geminorum, trigeminorum praeſentia, in morbis foetus, hydrocephalo, aſcite hydrope, in aberratione placentae a ſua ſede conſueta. Quarta ſpecies pendet a cauſis externis, quae p. 15.
vllo modo corpori vim inferunt. Progreditur etiam ad ſigna abortus inſtantis, et ad curationem haemorrhagiae vteri et inde metuendi abortus. Quam p. 17.
quam breuiter ea, quae curationem concernunt, propoſita ſunt ab Auct. tamen accurate dicta deprehendimus, cum iuſta limitatione, atque hanc ipſam diſſertationem de meliori poſſumus nota commendare.

XI.

Obſeruations in Midwifery particularly on the different methods of aſſiſting women in tedious and difficult labours, to which are added obſervations on the principal diſorders incident to women et children, by WILLIAM DEASE, Surgeon of the Vnited Hoſpitals of St. Nicholas et St. Catharine's, Dublin printed for I. Williams, L. White, W. Wilſon, P. Byrne, and I. Caſh. MDCCLXXXIII. 8. 212 pagg. c. f.

h. e.

Obſeruationes ad artem obſtetriciam pertinentes, ſigillatim concernentes diuerſas methodos

dós aſſiſtendi grauidis ac ſubueniendi in partu difficili ac laborioſo *).

p. I. Libellus ſex abſoluitur ſectionibus, quibus praefixa eſt introductio *de progreſſu artis obſtetriciae temporibus noſtris;* incipit autem ab HIPPOCRATE, MOSCHIONE ac CELSO ac hiſtoriam omnem fataque huius nobiliſſimae artis ad tempora noſtra vſque deducit, inprimis fere hoc ipſo ſeculo eandem multo perfectiorem redditam fuiſſe ſtudiis doctiſſimorum virorum docet, atque ex eo cauſam repetit principem, quod illa ars ſub initium huius ſaeculi demum fuerit etiam a viris exculta atque exercitata et ſucceſſiue ad ſummum fere perfectionis faſtigium perducta. Indecorum enim habebatur olim, vt viri opem feminis in parturiendo praeſtarent **), quamquam non negandum eſt, antiquiſſimis etiam temporibus viros adſtitiſſe femellis, quod ex innumeris HIPPOCRATIS, MOSCHIONIS, PAVLI AEGINETAE, ABVLCASIS aliorumque locis patet. Praecipue autem hiſtoriam inſtrumentorum, eorundemque vſus, propoſuit, quam ſane altius potuiſſet repetere, cum illa a veteribus aeque adhibita fuere. Optaſſemus ſane in hac hiſtoria, quam bene ſcriptam eſſe caeteroquin

*) Huius libelli verſionem eleganter concinnatam hoc ipſo anno prodiiſſe notamus hoc titulo: WILLIAM DEASES *Bemerkungen über die Entbindungskunſt in langwierigen und ſchweren Geburten, nebſt ſehr unterrichtenden Leichenöfnungen, ſowohl vor als nach der Geburt verſtorbener Perſonen, aus dem Engl. überſetzt und mit einigen Anmerkungen begleitet von* CHRISTI. FRIEDR. MICHAELIS, *Zittau und Leipzig bey Ioh. Dan. Schöps* 1788. 8. 260. *Seiten.*

**) De l' indecence aux hommes d' accoucher les femmes, et de l' obligation aux femmes de nourir leurs enfans etc. à Paris 1708. 12.

roquin concedimus, ſcripta quoque eſſe laudata, quae tamen in omni hiſtoria neceſſaria eſſe videntur, vt fides rei magis conſtet. Sed ad ipſas ſectiones accedamus propius, quarum I. *in vniuerſum* proponit p. 1.
*animaduerſiones ſuper affectus in grauiditate paſſim obuios.* Leuiora incommoda vix medici auxilium requirere videntur, praeprimis in prima grauiditatis periodo. Magis autem attentionem medici exigunt flatulentiae ac aciditates in ventriculo, quibus auer- p. 7.
tendis ac propellendis inſeruiunt cereuiſia tenuis, aqua ſelterana cum vino permixta, aut aqua ſimplex. Flatulentiis autem radicem Colombae cum fructu opponendam cenſet in forma pillulari, qua ſimul concoctionis negotium mirum adiuuatur in modum et nerui roborantur. Obſtructionibus aluinis grauidis admodum moleſtis optime pilulis obuiam eundem eſſe cenſet ex pilularum Rufi drachma vna, ſaponis Hiſpanici, antimonii diaphoretici, ammoniaci gummi ana drachma dimidia, duobus granis tartari emetici et viginti guttis olei menthae compoſitis numero XXX, de quibus veſperi tres deglutiendae. Deinde de haemorrhagiis in p. 9.
primis vt et ſequioribus menſibus earumdemque cura diſſerit, et quomodo abortus praecaueri poſſit. Porro quomodo tactu ſint diſquirendae ac exploran- p. 21.
dae femellae praecipit, et qua ratione in excluſione fetus et extractione ſecundae medico obſtetricio ſit verſandum. *Sect.* II. *De optima methodo ſuccurrendi* p. 29.
*feminis in partu naturali et laborioſo.* Quae in vniuerſum hic obſeruanda, qualis ſitus eligendus, quomodo excluſio foetus facienda, et qua ratione in ſecundis extrahendis ſe gerere oporteat medicum, traduntur egregie, atque praecepta proponuntur in haemorrhagiis nimiis obſeruanda. *Sect.* III. *De* p. 36.
*partu difficili, et apta applicatione inſtrumentorum, inprimis de vſu forcipis.* Difficilis partus natura

 ſuffici-

ſufficienter explicata ad vſum forcipis tranſit, qui tunc abſolute eſt adhibendus, ſi praeternaturalis capitis magnitudo, mala peluis conformatio, aut nimia anguſtia ipſius adeſt. Simul de vecte Roonhuſiano eiuſque commodis ac incommodis quaedam adduntur, et caſus commemorantur, in quibus ille ipſi forcipi ſit praeferendus. Inſtruit autem ſimul nos, quae vſui inſtrumentorum ſint praemittenda, et quomodo corpus ipſum ſit praeparandum, ſi iiſdem bonos effectus procurare velimus. Obſeruationes quoque vberrimas circa caput inclauatum adiecit, quae ſua non deſtituuntur vtilitate. Tandem de ſignis infantis mortui verba facit, atque ſuadet tunc abſque vlteriore mora infantem vnco aut for-
p. 53. cipe extrahere. *Sect.* IV. *de partu praeternaturali* agit. Reprehenduntur hic illi, qui ſyſtematice de partu praeternaturali tractare cupiunt, cum tironibus nulla inde vtilitas ſit ſperanda, et inſtitutio per exempla inſtitutioni per praecepta longe ſit anteferenda. In peruerſo autem ſitu tempori ſeſe accommodare debet medicus obſtetricius, quo videlicet orificium vteri ampliſſimum eſſe deprehenditur, atque aquae ſponte diſſiluere. Adduntur monita de commodo parturientium ſitu, et quomodo fetus
p. 60. extractio fieri debeat. *Sect.* V. *De ſectione Caeſarea et de ſynchondrotomia oſſium pubis.* Vtramque methodum tanquam parum vtilem atque adeo crude-
p. 73. lem reiicit. *Sect.* VI. *De morbis puerperarum.* Breuiter de haemorrhagiis vteri, laceratione perinaei et inteſtini recti, de febre lactea, purpura et febre puerperarum docte tractatur ac ſufficienter. *Sect.*
p. 121. VII. *De morbis infantum.* Examini hic ſubiiciuntur vlcerationes oculorum, quae non ſunt negligendae, cum ſaepe exinde plenaria oboriatur coecitas, gangraenoſae eroſiones genarum ac vtriuſque labii, et
p. 138. hydrocephalus. Accedunt tandem *animaduerſiones*

*vno*

*vno et triginta casibus illustratae*, quibus ex historiis distincte descriptis et sectionibus institutis multa proponuntur, quae instruere lectores possunt.

XII.

Materia vegetabilis systemati plantarum, praesertim philosophiae botanicae inseruiens, characteribus, quoscunque Ill. LINNEVS indicauit, delineatis, auctore NICOLAO EWOLDO PEREBOOM. Decadum prima, caudices, sumtibus auctoris prostant Lugduni Batauorum apud S. et I. Luchtmanns CIƆIƆCCLXXXVII 4. 32 pagg. c. fig. EIVSDEM Decades alterae, scapi, pedunculi ibid. eod. pagg. 52.

Ipsemet auctor Cl. profitetur se tantummodo in vsum tironum hancce materiam vegetabilem scripsisse, eorumque vtilitati in cognoscenda plantarum natura inseruire voluisse, qui sibi maiora nequeunt comparare LINNEI opera, atque hanc ob causam eius consilium probamus quam maxime. Sequutus autem est parentis doctissimi consilium, qui non tantum huius instituti fuit auctor suasorque, sed qui etiam filium suum in hac ipsa doctrina probe erudiuerat. Sic autem versatus est in his commentationibus, vt quidquid notabile a LINNEO fuit tractatum, in vnum digereret ac componeret corpus, aliis auctoribus minime spretis aut prorsus reiectis, propriis simul obseruationibus additis. Philosophia autem Botanica LINNEI ipsi filum fuit ariadneum, quo ductus sua proposuit, atque omnes terminos ad communes reduxit locos, vt suus cuique paretur accessus, tabulae vero huius materiae classes, figurae contra eius genera constituunt. Definitiones terminorum ex eodem desumtae sunt auctore, indefinitos au-

tem ab illo Noſter proprio ſtudio adiecit, et ipſae plantae delineatae horum terminorum ſunt exempla. Vnaquaeque decas centum et quinquaginta complecti debet figuras. Primum radices, dein truncos, ac tandem folia et fulcra deſcripſit, bulbos cum ſuo duce ad radices retulit. Ipſi vero radices quoad partes conſtitutiuas triplicis generis videntur eſſe; radices videlicet proprie ſic dictae, quarum vaſa ſuccoſa ſimplici compage in truncum tranſeunt; bulbi qui ex laminis ſeu tunicis conſtant; et tubera, quorum ſubſtantia ſolida eſt et farinacea, quaeque organa ſua productitia ipſa cortice recondunt. Gemmae porro futurae foliationis et fructificationis ſunt hibernacula; accuratius vero conſideratae, foliorum, floris, ſtipularum, petioli et ſquamarum glomum conſtituunt, adeoque medium inter truncum et fructum efficiunt. Vide quae de hibernaculis alibi *) monuimus: Prima autem tabula introductionis loco propoſita eſt, altera eſt elaboratior, tres ſequentes repraeſentant radices, aliae quinque caules, vltima culmos. Reliquas caudicum ſpecies in altera Decadum delineandas curauit.
p. 29. Nondum delineatae aſteriſco ſunt notatae. Primae decadi index terminorum additus eſt, qui tamen exulat ab altera decade, eam autem omiſit propterea, quoniam pridie edere conſtituit indicem characterum botanicorum vniuerſalem, ſeu Dictionarium in opera principum botanicorum ſtudio patris ipſius exaratum, et materiae huic vegetabili accommodatum. Attamen in ſequentibus indicem plantarum adiicere ſpondet.

XIII.

*) Vide Comm. noſtr. Vol. I. p. 195. ſq.

XIII.

Saggi ſcientifici e letterarj dell' Accademia di Padova Tomo I. Padova MDCCLXXXVI. a ſpeſe dell' Accademia e Lipſia appreſſo Gleditſch 531. pagg. 4. c. fig.

h. e.

Specimina ſcientifica et litteraria Academiae Patauinae.

Huius celeberrimae Academiae Patauinae, ſcientiarum, litterarum et artium anno 1779 publico Senatus Veneti decreto reſtauratae atque auctoritate inſtructae, hiſtoria ac fata paucis a nobis commemoranda ſunt, antequam contenta huius Tomi proponamus, et hoc officio eo lubentius defungimur, cum praefationis loco *hiſtorica introductio hic* praefixa ſit, *lecta in primo publico Academiae conſeſſu d. 29 Noubr. 1779 ab Ill. Comite Abbate* MATTHAEO FRANZOJA *Claſſi ſcient. a Secretis.* Antiquiſſima et florentiſſima litterarum, ſcientiarum ac artium academia Patauina ad ſummum perfectionis gradum euecta multis de cauſis nobis eſſe debet commendatiſſima, iiſque laudibus digniſſima, quibus a Cl. FRANZOIA eamdem ornatam legimus. Praeſtantiam enim Academiarum prae litterarum vniuerſitatibus ratione doctrinarum et ſtudiorum, quippe quae in Academiis melius traduntur, coluntur ac perficiuntur quam in vniuerſitatibus, declarat. Exemplo ſunt Academia Pariſina, Bononienſe inſtitutum, Academia Petropolitana, Berolinenſis, Taurinenſis, Parmenſis, Neapolitana etc. quarum ad normam Moderatores litterarum Veneti et Patauinam inſtructiſſimam ac celebratiſſimam eſſe iuſſerunt. Igitur ex regia munificentia proceres reipublicae curarunt, vt p. IV.

vt Bibliotheca publica, hortus botanicus, museum rerum naturalium, Theatrum anatomicum, Theatrum experimentis physicis dicatum, obseruatorium astronomicum, Laboratorium Chymicum, schola rei agrariae, schola artis obstetriciae, schola
p. VI. medicinae practicae et chirurgiae in Nosocomio Infirmorum, et vsui vniuersitatis et academiae inseruirent, atque vt aedificium conuentibus dicatum exstrueretur. Variis autem ex societatibus litterariis, quorum vltima fuit Academia Recuperatorum 1599 fundata, coaluit, atque demum in varias diuisa est classes, atque edicto publice a Senatu Vene-
p. IX. to 1779 promulgato confirmata, simul protectione publica ornata, legibus munita atque ex aerario publico sustentata ac nomine Academiae scientiarum, litterarum et artium Patauinae insignita est.

p. XIII. Alterum *specimen historicum super academia Patauina* Cl. *abbatem* IOSEPHVM GENNARI agnoscit auctorem, qui commemoratis commodis, quae ex litterariis variis societatibus in litteras ac artes liberales redundarunt, et incrementa conseruationemque earundem promouerunt, atque nominatis doctissimis viris, qui illas ornarunt ac nobilitarunt, progreditur ad primordia societatum, quae in an-
p. XIV. num 1540 incidunt, quo primum floruit Academia Patauina Inflammatorum, ex qua studiis ORSINI, BARBARI et MARTELLI nostra eodem tempore emersit, et primus praeses fuit LEO ORSINI, cui Censores, syndicus, et Cancellarius erant adiuncti. Sequuta est Academia eleuatorum, quam perperam
p. XXIV. Abbas QVADRIO circa annum 1540 ortam affirmat, antiquissimam illam fuisse inde patet, quia anno 1560 noua Eleuatorum commemoratur Academia. Ignoratur autem huius academiae annus natiuitatis
p. XXIX. ac interitus. Tertia est Academia Aethereorum circa annum 1567. ex QVADRII opinione fundata

a

a SCIPIONE GONZAGA. Quarta fuit Academia animoſorum anno 1557. fundata ab ASCANIO MARTINENGHI et fratre ipſius CO. CAMILLO, quaeque ob doctiſſimos viros quam maxime inclaruit, quorum nomina cum laudum encomiis hic referuntur, et qui de omni liberaliori doctrina ita meruere, vt illa tempora praeclariſſima ſint dicenda, quibus Nobilitatis Venetae flos in ampliſſimo et pulcherrimo litterarum theatro ſeſe ad egregios mores atque diſciplinas effinxit, ita vt ipſa inuidia hanc ipſam adſpexiſſe maleuolis oculis felicitatem videatur. Inſurrexerunt enim multi, qui faces iactarunt, difficultates obiecerunt, atque exclamarunt, hunc coetum parum diuturnum fore, hunc Phryxum magnis cito fluctibus obrutum iri, hunc mentium ardorem, quo ſocii appellantur animoſi, breui exſtinctum iri tempore. Quinta ſocietas Patauina eſt Academia Stabilium, quae anno 1580 ſua cepit primordia *), nequaquam anno 1555. vt arbitratur Abbas QVADRIVS **), fundante ipſam Ill. *Com.* IAC. ZABARELLA. Sexta Academiae Recuperatorum (Ricovrati) nomine gaudet, quae ſub finem ſaeculi XVI. eſſe coepit, ſub auſpiciis ſiquidem Abbatis FRID. CORNARI, patricii Veneti d. 25. Nouembris 1599 fundata eſt, et primus Academiae conſeſſus habitus eſt die 9 Ianuarii 1600. Floruit illa vſque ad annum 1661. ex quo tempore per ſeptem integros ſopita fuit annos, reſuſcitata demum a. 1668 a VICTORE CONTARINI, anno autem 1694. reformata, nouiſque legibus aucta eſt, quae publici factae ſunt iuris a. 1697.

p. XLI. p. LII. p. LIV. p. LXII.

Tertia

*) V. IOH IARCHII TEDESCHI ſpecimen, Hiſtoriae Academiarum eruditarum Italiae A. car. 163.

**) V. Storia e ragione d'ogni Poeſia Vol. I. p. 68.

p. LXXII. Tertia commentatio lecta mense Martio 1780. a Cl. *Abbate* MELCHIORE CESARETTI, continet *cogitata de officio Academicorum*, cuius summa primum eo redit, vt vera, noua atque vtilia ab vnoquoque proponantur Academicorum.

p. LXXXV. Accedit series chronologica Illustrissimorum Reformatorum et reliquorum sociorum, quam tamen hic omittimus, ne ab ordine a nobis recepto recedamus, alio tempore ad calcem pro more nostro eorundem mentionem facturi.

Hac historia praemissa, quae summo studio elaborata est atque egregiis instructa obseruationibus doctisque, quae nos pleniore notitia celeberrimae huius Academia possunt instruere, accedimus propius ad ipsas commentationes.

p. 1. I. *Experimenta et obseruationes Cl.* LEOPOLDI M. A. CALDANI, *quibus accuratius declarare studuit ac determinare, quinam sit locus princeps in cerebro, in quo sese fibrae medullares albae praecipue decussent,* lectae d. 17 Maii 1781. Iam ante viginti et quod excurrit annos Cl. A. historiam admodum notabilem litteris consignatam vulgauerat *) de hemiplegia quadam prorsus singulari, cuius nulla exempla penes celebratissimos quoscunque, scriptores, si MORGAGNIVM excipias atque HALLERVM, occurrunt, qua vir correptus defunctus est. Inciso cadauere vidit internam huius hemiplegiae causam latuisse in vlcere, quod in paralytici hemisphaerii opposito hemisphaerio detexit, atque simul exposuit decussationem fibrarum medullarium in regione potissimum corporum striatorum fieri. Veritatem huius rei vlterius iam quatuor nouis exemplis hominum confirmare annisus est, qui eodem modo ex hemiplegia obierunt. Prima historia concernit virum robustum in

p. 2.

nosoco-

*) Prima lettera sull' insensitività ed irritabilità di alcuni parte del corpo animale §. LI.

nosocomio S. Mariae demortuum, sectione facta et separatis integumentis cranii, illa versus os parietale dextrum male affecta et in medio quasi ita adnexa vt vix auelli vi maxima possent. Capillis abrasis in illa regione inuenit veterem cicatricem figurae ellipticae, et tantae amplitudinis, vt maior diameter pollicem vnum, et dimidium, minor autem tantum vnum pollicem aequaret. Cicatrice digito presso, cessit illa quidem, sed reliquit foueam, sub qua os quoque fuit excauatum, vti vlterior separatio docuit. Cranio vero dissecto supra cilium orbitae dextrae sinus in dura matre reperiebatur continens materiam fetidam obscure rubram, chocolatae colorem referentem, et eiusmodi materia quoque in dextro latere cristae galli fuit, vlcus autem vsque ad ventriculum progrediebatur hac in parte, quod ipsum vlcus apoplexiae fuerat causa, cum sanguis extrauasatus sinistrum ventriculum repleuerat. Vbe- p. 8.
rius autem auctoritatem suis dictis conciliat exemplo canis, cuius ossa parietalia trepano perforauerat, atque protinus intellexit, ex grauibus cerebri aut cerebelli vulneribus canis corpus in arcum attrahi, esseque causam phaenomeni in lateris vulneri respondentis quidem conuulsione, lateris vero integri resolutione. Haec experimenta quater repetita eadem phaenomena exhibuere. Alter apople- p. 11.
cticus fuit iuuenis 24. annorum robustus, floridus, cuius caput sclopeti calce percussum erat. Vulnus inflictum fuit regioni parietali dextrae in vicinia suturae sagittalis versus os frontis, et grauissimis symptomatibus stipatum; adhibitaque trepanatione tamen mortuus est. Cadauere secto cranioque, nulla in conspectum venit ossis fissura, dura tantum mater fuit nigra, et in dextro hemisphaerio aliquid puris ac magnas quantitates sanguinis in ventriculo ibidem collocato, corpora striata vsque ad dimidium

erant

erant corrofa. Meatu auditorio dextro aperto in eius cauitate media pus fuit, membranaque tympani quoad dimidiam partem in inferiore regione de-
p. 12. ftructa. Tertius apoplecticus fuit iuuenis robuftus 22 annorum, qui cum effet in culina, ab automato, cuius chorda fuftinens pondera praeter fpem rupta, in regione capitis parum a futura lambdoidea diftante percuffus, omni fenfu deftitutus in terram prolapfus eft. Acceffit protinus fomnus profundior. Locus percuffus graui contufione et laceratione cum multa fanguinis profufione erat affectus, refpiratione fenfim fenfimque facta difficiliori poft duos dies exfpirauit. Cranio diffecto in poftica offis parietalis finiftri parte cum vifibili finus longitudinalis laceratione, ventriculus ibi fanguine re-
p. 13. pletus et corpora ftriata deftructa erant. Quartus erat vir 40 annorum qui cum vellet artificiofe exornare ecclefiam Bononienfem S. Luciae, de fcala praeceps ruit in terram, capite praeprimis ab hoc lapfu affecto. Contufio erat grauiffima cum laceratione integumentorum in regione dextra offis coronalis. Sectione facta fiffura in toto tractu offis frontalis admodum magna venit in confpectum, fupra hanc fiffuram, et duram matrem multum partim puri, partim grumofi deprehendebatur fanguinis cum multis bullulis aereis, maior autem copia in ventriculo dextro confpiciebatur cum interna deftructione corporum ftriatorum, et particula thalami. Haec exempla fententiam auctoris confirmant, quae obferuationibus fufius iam illuftrantur.

p. 15. 2. *Commentatio fuper gangraenam* auctore Cl. CAMILLO BONIOLI lecta d. 21. Decbr. 1780. in qua demonftratur inutilem et repudiandam effe vulgarem medendi methodum gangraenae, ope incifionum, demolitionum et aduftionum etc. et vfum internum corticis peruuiani tanquam fpecifici in hoc cafu

caſu laudati neque ſufficere his malis medendis, neque in omnibus proficuum aeſtimandum caſibus, Significatione vocis gangraenae praemiſſa, phaenomena, quibus ſeſe ſub variis formis noſtris oculis repraeſentat, proponuntur, quae pendent a variis illius ſpeciebus, quae ſub diuerſis circumſtantiis prodeunt, et liquidas noſtras partes ſua praua et venefica indole inficiunt atque alterant. Per eiuſmodi autem alterationem humores noſtri mutantur in quandam veneni ſpeciem, quae neruos, vaſa, prima ſtamina ſolidorum, atque vires iiſdem inhaerentes adgreditur. Ad duo autem ſumma genera poteſt referri gangraena, quorum alterum conſiſtit in exſiccatione partium mollium, quod pro differentia indolis et graduum materiae gangraenoſae virulentae, varias induit formas; alterum in foetida quadam diſſolutione earumdem partium, quod etiam in ſpecies diuerſas rurſus diſtinguitur. Secundum effectus ſub ſenſus incurrentes vniformes et conſtantes hae ſpecies, eſſentiales, ſymptomaticae, criticae ac mixtae etc. dicendae ſunt. Grauiſſimum autem illud malum eſt cenſendum, grauiſſimis ſymptomatibus ſtipatum, quae non tantum a medentibus attendi merentur, ſed etiam viam, qua in curatione ſit ingrediendum, monſtrant. Tres autem in vniuerſum p. 21. dantur gangraenae aut ſphaceli ſpecies, quarum prima nullam prorſus curam admittens pro abſolute lethali eſt reputanda; altera leuior eſt ſpecies, quae certe atque tuto poteſt ſanari, et tertia cum euidentiſſimo periculo, et multis in cura ipſa difficultatibus coniuncta eſſe ſolet. In prima ſpecie nihil prorſus tentandum, omnia enim incaſſum adhibentur et malum exaſperatur. In altera non ſufficere declarat vſum internum corticis, quamquam ipſi tribuat antiſepticam et tonicam virtutem, atque facultatem corruptioni reſiſtendi et roborandi, ean-

demque exemplo comprobet, et conuenire tantummodo videtur in cancro occulto et ſymptomatico. Vidit autem a decocto chinae plagam cum gangraena coniunctam exſiccari atque ita fieri dolorificam, vt ſimul gangraena celerrimos faceret progreſſus, quare conſilium mutauit atque Balſamo Arcaei in connubio cum Peruuiano ſuppura-
p. 24. tionem denuo procurauit. Tertia ſpecies omne artis auxilium et prouidam medentis exigit curam quoad ſiccam aeque ac humidam gangraenam.
p. 40. Magnas contra vires valerianae ſilueſtri, floribus chamomillae cum aqua ardente, cui parum aceti aromatici eſt adiectum, tribuit.

p. 41. 3. Cl. nuper defuncti LVD. CALZA *diſquiſitiones ſuper mechanice mutatas formas vteri per vniuerſam grauiditatem*, lectae d. 2. Decbr. 1780. Ante omnia
p. 43. vterum eiuſque partes accurate deſcripſit, atque de cauitate et varia illius ſtructura diſſeruit, quas ideo natura huic parti conceſſit, vt eo melius diuerſis
p. 48. ſuis defungi poſſet officiis. Omnis autem mutatio, quam vberius exhibet, primario deducenda eſt a fecundante potentia, quae tunc irritationem in corpore vniuerſo femineo facit, et ex lege mechanica in larga copia humores ad illas partes deducit, in quibus facta eſt conceptio. Sanguis ad vterum determinatus per potentiam fecundantem, atque mutatus, foetui in vtero neceſſaria ſuppeditat, et quidem lympham nutrititiam ad ſui incrementum, humorem perſpirabilem ſacco ouali, quo intumeſcat et extendi ſe patiatur, vtero autem perſpirabilem vaporem et ſeroſum fluidum, quo emolliatur, et ductilis fiat, et globuloſam rubram ſubſtantiam, quae fibras primas occultaſque poſſit maiores efficere ac robuſtiores, eaſdem coloribus pingere atque conſpiciendas praebere. Quo maior igitur affluxus, abundantia et phlogiſtica rarefactio fluidorum ad vterum fertur,

eo

eo magis parietes in quacumque regione vteri expanduntur, quae ſenſim increſcit, atque ſimul incre- p. 50.
mentum fetus per ſingulos menſes procurat, fetus autem vterum ſuo volumine replet, et grauitate ſua ad iſthmum et ceruicem tendit, ſurſumque ſucceſſiue ſeſe eleuat ac diſtenſionem intendit, atque vterus ſic increſcit. Vteri autem triplicem agnoſcit ſubſtantiam, ducibus ARANZIO, MALPIGHIO et SAN- p. 55.
TORINIO, videlicet externam muſculoſam craſſam, mediam ſpongioſam in multos ſinus diductam, et internam ſubtilem muſculoſam. Detracto enim peritonaeo, ab anteriore et poſteriore parte iſthmum et corpus inuoluente ſe praeſentat ampliſſimum ſtratum fibrarum carnoſarum, quae duas illas regiones chlamydis ad inſtar inueſtit, ſtrata illa directe progrediuntur ad fundum, ad tubas, ligamenta rotunda, et ouaria ac in muſculos inſeruntur, oblique autem deſcendendo in facie poſteriore amoeniſſimum offerunt ſpecta- p. 58.
culum. Diſpoſitio autem ſinuum mediam ſubſtantiam conſtituentium a vaſis venoſis pendet, ſecundum alios vero a quodam propriorum vaſorum genere. Tertia tam ſubtiliſſima eſt, vt ſinus transpareant ac ob lacerationem ſeſe aegre ſeparare ſinit ab altera, et ideo quoque ſtrata ipſius non ſatis diſtincte poſſunt cognoſci. Ceterum vera ſunt omnino, quae p. 62.
MALPIGHIVS de vtero pronunciauit: In hoc obſcuriſſimo omnium viſcere, extra grauiditatis tempus, ob contracta vaſa, et in varices contorta, ita implicitae ſunt componentes particulae, vt nulla ferme arte diſtingui poſſint. In turgente autem et praegnante vtero, brutorum praecipue, quaedam emergere videntur. Nonnulla igitur, quae menti meae illuxere, dubitatiue vobis indicaui, (non enim integre omnia adhuc ſenſus meos explent) vt excitata veſtra ſedulitate vel apertius pateant, vel meam φαντασίαν non amplius illudant.

p. 69. *Obseruatio anatomica Cl.* GIROLAMO FIORATI *de insolito positu aortae et insolita origine primorum eiusdem ramorum*, lecta d. 18 Ianuar. 1781. Rarissima illa obseruatio facta est in cadauere ad demonstrationes publicas praeparato, et cuius vasa erant iniecta. Historiam breuiter narrare iuuat. Vir quadraginta annorum, iustae staturae, corporis bene nutriti, obiit ex morbo paucos tantum dies durante, et de quo solummodo signa exstabant repletionis vasorum superiorum, et quae simul pulmones affectos declarabant, ex quibus simul sumtis planum erat caput vna cum pectore affligi. Praeterea multa pinguedine vasa sanguifera et nerui erant circumdata, quaeque impedimento fuerat quominus elaboraretur satis densus et extensus contextus cellulosus, et sic subiectae carnes macrae non facile conspici poterant. Dum collo aperto et trunco nerui vagi ab vna et altera parte separato primum de recurrente ramo in sinistra parte inueniendo cogitauit, sed tunc opus id persequi non potuit. Nam quia multa membrana in procero pectore erat, impediebatur admodum: quaerens vero iuxta arteriam asperam neruum recurrentem qui ascendebat, incepit eundem prosequi deorsum, persuasus hac ratione se accessurum esse sine vlla noxa ad aortae curuaturam,
p. 70. sub qua illa transibat. Sed descendendo vsque ad clauiculae regionem et dein magis deorsum, et cum semper noua via cellularis appareret, multa remansere obstacula, quominus videret in quonam latere aorta prima curuata ascenderet et dein descenderet. Igitur protinus dextrum latus perquisiuit, in quo inuenit, qui in altero esse debebat, arcum aortae et neruum recurrentem, qui deorsum supra arteriam asperam in laryngem transibat. Perquisiuit hac occasione arteriam magnam eiusdemque ramos vna cum arteria pulmonali, atque vidit e ventriculo cordis sinistro exire

ire arteriam aortam, quae oblique proceſſit in partem dextram aſcendendo quatuor digitos fere ſupra cor, cum ordinarie ſe conuertere debeat in ſiniſtrum latus, proceſſit ad dextrum faciendo arcum tendentem ad poſteriorem partem et collocabatur ſuper corpus vertebrae dorſalis, atque progrediebatur ad vltimam dorſi vertebram, vbi inclinata ad ſiniſtram ordinariam regionem ſuam occupabat abſque vlla peculiari mutatione. Primos autem eius conſiderans ramos hanc primo obtutu differentiam vi- p. 71.
dit, quod non omnes e arcu ſed e trunco ordine nouo egrederentur. Prima erat arteria carotis ſiniſtra egrediens e trunco tres circiter digitos ſupra cor, et aſcendens proxime ad arteriam aſperam, ibi in ſuo progreſſu ſuos ramos diſpergebat. Eodem modo erat carotis dextra comparata, quippe quae egrediebatur e trunco et quidem dimidium digitum verſus ſuperiora. Subclauiae dextrae ſummitas ex arcu progrediens ad vertebralem procedebat aliasque faciebat ramificationes, in reuertendo formabat axillarem et brachialem more conſueto. Subclauiae autem ſiniſtrae origo ſingulare aliquod praebuit phaenomenon, illa ſiquidem euidentiſſima erat trunci arteriae pulmonalis continuatio. Vt igitur haec clariore illuſtraretur luce, accuratiori examini rem ſubiecit, vidit eam exire e trunco arteriae ibi deſcendente in diſtantia decem linearum a ſummitate arcus, quae erat origo dextrae ſubclauiae. Truncus deſcendens autem erat collocatus verſus dextram pectoris partem, et principium ſubclauiae ſiniſtrae proxime e latere illo emergebat, vbi debebat ad inſtar gibboſitatis hic protuberare e aorta in aliquo loco. Illa gibboſitas prognata cum largo principio ex diametro extenſa aortae deſcendentis circa vnum polliceem, ſinu quodam facto inſerta eſt vaſi, ex quo exierat, et deuenit per maiorem aliquam diametrum in

vas extenſum, vbi cono truncato ſimilis euaſit, cuius ſuperior pars in foſſam ſubclauiae ſiniſtrae tendebat. Gibboſitas autem ex aorta tanquam ramus
p. 72. e trunco prouenire videbatur. Vltimo denique loco diſſeritur hancce naturae aberrationem in hac conformatione praeternaturali nullam notabilem ſuggeſſiſſe in functionibus vitalibus alterationem, quid quod homo ille bona et integra valetudine fuit et probe nutrito corpore. Tubus arterioſus et burſa ſiue gibboſitas melius ex oculari inſpectione tabularum aeri inciſarum cognoſcuntur. Quod reliquum eſt quaſdam animaduerſiones ſub finem huius commentationis licet conſpicere.

p. 78. 5. *Commentatio geographico-phyſica de vero ſitu inſularum electricarum veterum*, auctore *Cl. Abbate* ALBERTO FORTIS, lecta in conſeſſu publico d. X. Ian. 1782. Argumentum hoc a Cl. A. propoſitum non tantum ideo laudandum eſt, quia omnibus aeque auditoribus in conſeſſu illo congregatis gratum eſſe debuit atque acceptum, praeſertim ob nexum arctiſſimum hiſtoriam naturalem inter et geographiam, et eam quoque ob cauſam, quoniam ad antiquitates Patauinas pertinet, quae ob patriae amorem omnibus in concione illa acceptiſſima ſane fuit. Primum itaque quod Noſter ſibi demonſtrandum ſumſit, eſt, eiuſmodi inſulas, quarum apud Graecos antiquos praeſertim apud STRABONEM fit mentio, vere exſtitiſſe atque in Eridano ſitas fuiſſe, eaſque conſiderandas eſſe tanquam maſſam collium Euganeorum ac Bericienſium, eaſque collocandas in ſinu quodam Oceani Germanici centum milliaria a Patauio diſſito, quoad characterem proprium ele-
p. 80. ctricum conueniunt cum quibuſdam collibus Patauinis, et omnis maſſa earundem ex igne ſubterraneo deducenda eſt. Rationem porro reddit de Phaethonte in Mythologia veterum, cui fabulae eruptio

eruptio noui montis igniuomi originem dedit. Subitanea autem et luminoſa facies huius terribilis phaenomeni ipſi nomen phaetontis impoſuit, quod nomen et ad tres alios tranſlatum eſt montes eiuſdem naturae, quorum alter Euganeus (Monte bruciato) reliqui duo Vicentini fuerunt. Electrum autem ibi repertum fuiſſe maſſam probat e craſſa et vliginoſa terra vegetabili compoſitam, quae in paludoſis locis ſoluta fluida reddita eſt, et mota per ſubterraneum calorem et petroleum, ac aquae immiſſa et innatans ope acidi marini firmata eſt in ambram flauam. TACITI temporibus illud in pretio admodum fuiſſe expoſuit. p. 82.
Hac occaſione multa docte et eleganter de Titanibus, de Ioue Fulminatore, raptu Proſerpinae et admirandis camporum Phlegraeorum vt et Bellerofonte, chimaera, aliiſque proponuntur. Ceſſaſſe autem ele- p. 91.
ctricae materiae eruptionem ea praeprimis de cauſa, ob aluuiem maris Adriatici, ad radices montium Vicentinorum et Baſſanenſium, quod pluribus exemplis vlterius proſequitur, ſimulque argumenta profert cur nulla mentio electri Patauini facta ſit a p. 95.
STRABONE. Accedit deinde ad petrificationes ma- p. 101.
rinas earumque ortum, qui aliquo modo conuenit cum electri origine. Tandem eruptiones Vulcanorum eandem ſeruare cum maris regreſſu rationem diſſeruit. Multo plura potuiſſemus addere, nam lectione huius praeſtantiſſimae commentationis, multa ex hiſtoria et antiquitate continente, admodum nos recreari ac refici intelleximus, atque ſperamus fore vt eamdem voluptatem noſtri lectores percepturi ſint nobiſcum conſentientes.

6. *Deſcriptio Firmianae arboris exoticae, quae flo-* p. 106.
*res fructuſque progenuit maturos in horto publico Sempliciano Patauii*, lecta d. 10 Maii 1781. Semina huius arboris ſub nomine *arboris excelſae ex China* tranſmiſſa ſunt, a quonam et ex qua regione igno-

ratur, ad Cl. Abbatem PHIL. ANT. FARSETTI, Patricium Venetum, quae post eius obitum seminata in horto eiusdem Sala, ex quibus complures plantae prouenerunt, quae sub Directoris FRANC. POMEY cura ita adoleuere, vt characterem arboris et quidem insignis prae se ferrent, atque ex iisdem vna transplantata est in hortum publicum Semplicianum,
p. 107. et tandem in hortum academicum traducta. Radix eius admodum magna est, formans quasi multos conos inuersos, qui e basi trunci descendunt perpendiculariter et sese extenuant in longissima acumina terramque profunde petunt, vestitique cortice subtili ac squamoso, coloris incarnati cum multis papillis siue tuberculis fusco-atris, in superficie milii magnitudine et quoad tactum asperi, quae asperitates vices radicum paruarum barbae ad instar adcrescentium sustinent, atque exeuntes processus lignosos durissimos et quasi corneos in ramificationibus efficiunt, qui ex interna ipsius substantia tanquam spinae erumpunt. Ista substantia neque solida neque fibrosa, sed potius tenera ac molliuscula est, quoad consistentiam et colorem sicut rapa, absque omni odore ac gustu. Si comprimitur et per digitos traducitur, humorem emittit mucilaginosum sicut althea, et si masticatur et maceratur in aqua parum parenchymatis fibrosi suppeditat, et tota sese soluit in speciem quandam muci gummosi odorem grauem alcalinum referentis, qui si fermentum subit cum aceto vinoso gratum cibum palatui praebet. Siccata et decorticata medullam offert pani exsiccato et vetusto simillimam, quae facile in farinam potest redigi. Natura tuberosa huius radicis phaenomena eius vegetationis exhibet, qualem olim HONORIVS BELLVS in radice Abauae, et CLVSIVS in Adansonia Linnei obseruarunt. Radix truncum e

terra

terra emittens et principem ramum formans ſeſe diuidit in tres ramos egregie inflexos. Truncus ramique compoſiti ex parte lignoſa et ſtratis concentricis fibris longitudinaliter et tranſuerſe ſe decuſſantibus, continent ſubſtantiam mollem, ſpongioſam ſicut ſambucus. Corpus ipſum rarae et po- p. 109.
roſae texturae externe craſſo et polito operitur cortice, in trunco veteri ramiſque adultis color eſt pallide viridis, in aridis viuidus, ſmaragdinus, nitidus, qui aut in aqua maceratus aut recens, venis albis varie decurrentibus eſt diſtinctus. Folia conſperſa ſunt cicatricibus permanentibus variegatis ac teſſelatis. Internus cortex maceratione reſoluitur in laminam membranaceam, pertuſam legitime ad retis inſtar, fibris conſtat non quidem innexis, ſed in faſces compoſitis, flexuoſis, ſerpentinis, facile a ſe inuicem ſeparandis, filis longis, ſubtilibus, nitidis, prouti amiantum. Gaudent radix, et fibrae ligni et corticis, mucilagine ope aquae facile exprimenda. Cum fico communi quoad colorem et folia quodammodo conuenit, et vbique admodum vaſtis et praeſtantiſſimis comis eſt cincta. Folia profundis ſinubus ſunt diſtincta, qui e medio emergunt diuiſi in quinque lobos, qui irregulares lobos minores efficiunt. Quoad longitudinem et latitudinem optimam ſymmetriam ſeruat arbor ipſa, atque pyramidalem repraeſentat formam. Gemma extrema operta eſt externe tribus ſquamis oualibus deciduis, aliae ſquamae formae triangularis et deſcendentes paruis foliis interpoſitae ſunt, ſeſe ſenſim expandentes, cum limbo capillato et recuruo rubri et viridis coloris faſciculum formant; quae cum ſuo ramo ſceptrum coronarium ſiue corollam floris liliacei referunt. In me- p. 111.
dio gemmae floriferae et in fibra lignea et plexus medullaris ſeſe eleuant in folio vno plures cauliculi, qui formant corimbum, e quo racemus cum multis

ramificationibus protuberat, deſtinatus producendis et ſuſtinendis floribus et fructibus. Forma pedunculi cum ſuis lateralibus ramificationibus thyrſum ſiue racemum lateralem repraeſentat, in quo racemuli alternatim ac ſpiraliter ſunt diſpoſiti, ſeſe diuidentes in ſertum aliquod minus. Singuli ſuſtinentur breuiſſimo pedunculo proprio inſtructo nodo, in quo flores maturantes ſe explicant, ſteriles autem et abortiui decidunt. Multae paruae glandulae pellucidae maculis ferruginoſis diſtinctae ſpargunt ſeſe ſub pedunculo communi aeque ac ſingulo, et in dorſo praeterea ſunt floſculi, mas aeque ac foemina inter ſe commixti, interdum ſeparatim in di-
p. 112. uerſis ramulis poſiti. Eadem figura, magnitudine et colore ſunt inſtructi, qui primum pallide flauus eſt, ſenſim vero in rubrum, maxime circa baſin conuertitur, odore delicato meliſſophylli. Circulum aliquem formant membranoſum in calyce, ſi ſeſe aperire incipiunt, aperti autem ſeſe explicant in quinque ſegmenta, cum baſi interne coniuncta, et in fauce ſunt lanuginoſi. Poſtea ſe incuruant, et recuruando retrorſum vniuntur in extremitate. Subſtantia ipſa eſt carnoſa et quaſi coriacea, et inſeruit calyci floris, non habens petala. In fundo tubi ipſo illa eſt interne villoſa, ſeſe eleuans in mare inſpeciem aliquam columnae incuruatae, terminatae in globulum cum multis apicibus ſiue antheris oblongis ac ſulcatis. Globuli duo ſunt, quorum alter orificio aperto gaudet, qui adultiores facti per microſcopium figuram H. H. quoad capitellum formam repraeſentant Hiſpanici pilei. Apellatur autem a Botanicis *phallus eſculentus*. Quoad externam ſpeciem femina cum mare conuenit, interna autem differt organizatione. E centro calycis ſtipes aut baſis ſiue receptaculum exit, in quo piſtillum eſt implantatum, compoſitum e germine, ſtilo

et

et ſtigmate. Germen tumidum, piloſum, quinquan-
gulatum cum vno nectario in baſi. Membrana ger-
men includens elongata ſpiraliterque contorta for-
mat ſtilum conicum et curuum, prouti in mare, co-
ronatum in ſummitate orificii ſeu ſtigmatis, et diui-
ſum in quinque angulos coloris rubri. Nectarium
aeque in quinque partes eſt diuiſum, amplectens ba-
ſin germinis, vnaquaeque compoſita eſt ex quinque
aut pluribus corpuſculis oblongis, anguloſis, ſub-
ſtantiae mollis et pellucidae, irregulariter congeſtis.
Pedunculus et receptaculum infra ſtilum longius
procedendo craſſeſcit, et ſi ſit lignoſum, tumeſit
germen, ſenſimque flaccidum factum decidit, et p. 113.
euaneſcunt nectaria. Conſtituunt autem quinque
embryones coniuncti vnum corpus, qui ſi ſeſe euol-
uunt, et vnus ab altero ſecedit, conuertuntur in to-
tidem pericarpia coni obtuſi figuram habentia, qui
verſus terram inclinatus et pendulus creſcere per-
git, et ad maturitatem peruenti grandiores rum-
punt ſponte, et continent in ſua cauitate tria, qua-
tuor, quinque, et raro ſex ſemina regulariter diſpo-
ſita et filo baſi fortiter adnexa. Semen eſt nucleus
figurae ſphaericae paruulum ceraſum aequans; ſub-
ſtantia alba, ſebacea, ſaporis leguminis, duplice cor-
tice incluſum, interno craſſo et ſolido, exteriore
ſubtili, varii coloris, viridis, rubri, interdum vireſ-
centis. Exſiccatum ad grani piperis aut baccae
iuniperi magnitudinem redigitur, internus cortex
extenuatus et induratus, ſuperior corrugatus et
friabilis eſt, nucleus in farinam redactus ſaporis
dulcis et aromatici haud ingrati. Capſulae figura cym-
biformis et nauicularis vti auris iumentorum, piſtil-
lum cartilagineum ſeſe inuoluens verſus apicem et
rurſus inuertens in caule perſiſtit et tenaciter reti-
net ſemen. Affinitatem habet illa planta cum *he-
lictere* IACQVINI, attamen differt quoad fulcra api-
ces

apices ſuſtinentia. Caeterum eandem *Firmianam* appellat a CAR. COM. DE FIRMIAN ſupremo Cancellario Longobardiae, alias dicitur *Sterculia platanifolia.* Characterem genericum vltimo addimus loco: *Maſculi flores* cum foemineis in racemo ſparſi vel ſegregati. *Perianth.* monophyllum, inferne ouatum, ſuperne quinquepartitum, laciniis oblongo-ouatis, coriaceis, retroflexis. *Cor.* nulla. *Stam.* columella ſtaminum vice fungens, conica, recurua ſuſtinens antheras numero a 15 ad 20 in capitulum congeſtas. *Foeminei flores* per racemum ſparſi vel ſegregati. *Per.* vt in maſculis. *Cor.* nulla. *Piſt.* germen ſtipitatum, turgidum, quinqueſulcatum, contortum. Stylus, vt columella in maſculo, conicus, recuruus. Stigma capitatum, quinquangulare. *Nectar.* quinquepartitum, corpuſculis plurimis oblongis, inordinate congeſtis compoſitum, germinis baſin circumambientibus. *Pericarp.* capſulae quinae, conico-obtuſae, vniloculares, vniualues, ſecundum longitudinem dehiſcentes, propendentes. *Sem.* nuclei ſphaerici quatuor vel quinque, raro plures, nitidi, colorati, ſuturae dehiſcentis margini hinc inde appenſi. Hanc denique arborem lecta hac commentatione deſcriptam inuenit a LINNEO Iun. *) in Claſſe *Monoecia Monadelphia* ſub genere *Sterculiae* et nomine triuiali *Sterculiae platanifoliae*, quam ad *hermaphroditas* retulit, et claſſem *gynandriae*; at eam deſcriptionem ex imperfecto et ſicco fecit exemplari, quod tranſmiſit noſter in Sueciam ad Cl. ALSTROEMER, quocum poſtea ſuas obſeruationes communicauit, vt Cl. LINNEO eaſdem illuſtrandae huius plantae cauſa exhiberet.

p. 116. [margin, beside "lia."]

p. 117. 6. *Commentatio* PETRI HARDVINI *de generibus holci, atque ſpeciebus et varietatibus, eiuſdemque cultura et vſu oeconomico.* Primum characterem genericum

*) in ſuppl. plantarum nuper edito p. 423.

ricum holci conſtituit, qui eſt: Calyx florum herma- p. 118.
phroditorum e duabus ſquamis compoſitus, corolla membranacea, in altera ſpecie ariſtam continens ſupra bullam exteriorem, quae in altera non prorſus exulat, tribus inſtructa ſubtiliſſimis filis ſeſe terminantibus in antheram oblongam, et germine ſeſe terminante in duos tubos pennicillatos. Flores maſculi ſimiliter habent calycem ex duabus formatum bullis multo minoribus et magis oblongis, continentes tria filamenta cum ſuis ſtaminibus deficiente germine, ideoque pro ſterilibus reputandi. In altera ſquama interne in calyce hermaphroditi flores ſunt collocati, in altera hermaphroditus granum producens, quem iure florem fecundum nominare poſſes ſtantem in medio florum ſterilium. Semina variam figuram habent ſecundum ſpecierum differentiam. LINNEVS characterem huius holci ſequenti conſtituit modo: *Hermaphroditi calyx. Gluma* 1. *ſeu* 2. *flora. Corolla Gluma ariſtata Stamina* 3. *Styli* 2. *Semen unicum. Maſculi calyx Gluma* 2. *valuis. Corolla nulla. Stamina* 3. Nunc ad ſpecies ſingulas deſcribendas progreditur, quarum prima *Holcus Cafer* eſt, qui octo pedes in altum aſſurgit, in- p. 119.
terdum plures ſecundum qualitatem et vigorem ſoli, in quo eſt ſeminatus. Frutex quoad craſſitiem granum Turcicum aequat, folia quibus veſtitus eſt numero ſunt duodecim vel tredecim, et colore conueniunt aeque ac figura cum arundine ſatiua. Vniuerſus frutex coma terminatur copioſa, quae ad modum vmbellae ſparſa et compoſita eſt ex multis ramulis interne partibus extremis fruticis affixis, et per medium comarum tranſeuntibus, vnde fit verticillatus. Hi ramuſculi vario ſunt diſpoſiti ordine p. 120.
et in ſua ſummitate in alios ſubdiuiſi circa grana, paruis racemis vuae comparandos, et verſus terram incuruos. Differentia huius holci in eo cernitur, quod frutex,

frutex, folia et comae femper etiam in frigore vireant, dulcis fucci, ponderofior fit et coma quoque fefe ab aliis diftinguat fpeciebus, femina funt copiofa, rotunda et quafi nuda, quae fuftinentur a calyce pufillo, pilofo et facile auelluntur, circumdataque funt vno aut duobus floribus fterilibus in eodem pedunculo prognatis, cui omne granum eft adnexum. Ad maturitatem peruenientia, rubro colore externe funt tincta, et fuppeditant farinam al-
p. 121. bam quam molere poffumus in piftrinis facile. Seminatur per totum Aprilem in terra humida ac ficca et vbertate foliorum vbique gaudet, magis nutrit quam holcus vulgaris, et alimenta praebet polenta pauperibus villicis atque inferuit faginandis majalibus, pullis et aliis volatilibus domefticis. Frutex in minutas partes diffectus et viridis et ficcatus
p. 123. paftui pecoris et boum inferuit. Succus infpiffatus facchari vices fuftinet. Deftillatione ex eodem aqua vitae praeparari poteft, quae cum *Rum* Anglorum magnam habet affinitatem. Ad confiftentiam duram coctus omnibus condimentis et cupediis poteft addi, et tandem apibus poteft effe nutrimenti loco.
p. 124. Altera fpecies eft *Holcus fpicatus*, qui eft *Panicum Indicum*, quod in Barbaria Afiatica penes Tunefios loco panis comeditur. Meminerunt eius CLVSIVS,
p. 125. DODONAEVS, ac BAVHINVS haec de eo tradit: *Holcus (fpicatus) glumis bifloris muticis, floribus geminis penicillo inuolucratis, fpica ouato-oblonga.* Culmus quinque, decem et plures pedes altus, quoad craffitudinem, nodorum numerum, figura et longitudine foliorum cum Melica Scopa conuenit. Nodi funt admodum multi et omnes annulo multorum pilorum infigniti, producuntque in omni nodo inter alas foliorum nouos ramos. Folia cum fuis culmis admodum longa, atque neruo albo percurrente inftructa et rigidis etiam pilis tecta, qui vagina con-

tinentur

tinentur ſicut culmi. Culmi principes et rami inde producti terminantur in cylindricam paniculam. Pa- p. 126.
nicula primum viridis, poſtea plumoſis et albis filamentis operitur, quae ſtilum et tubum germinum conſtituunt, quorum euolutionem praecedit explicatio ſtaminum. Poſt aliquot dies ſtamina repleta puluiſculo fecundante veniunt in conſpectum, coloris ſulphureo-aeruginoſi, et interdum ad caeruleum vergentis tegente totam paniculam. Staminibus decidentibus ſemina colore albo cinereo inſigniuntur, quae in paniculae ſuperficie denſiſſimam congeriem granorum lucidorum efficiunt et colore margaritarum in maturitate ſua tinguntur. Pedunculi flores ſuſtinentes pilis inſtructi faſciculum crinium exhibent ruforum et nitidorum ſericeorum. In medio faſciculi ſtant quatuor flores in duo diuiſi corpora, quorum vnumquodque continet florem fecundum et ſterilem. Fecundus in medio calycis tria filamenta in antheram terminata habet, et germen terminatum in duos tubos albos et plumoſos. In ſterilibus deſunt germen et tria filamenta cum ſuis ſtaminibus. Ramorum lateralium paniculae in culmo principe interdum habent duos flores maſculinum et femininum in vniuerſo pedunculo. Eumdem habet vſum cum praecedente. Farina p. 127.
colorem obſcure album refert, et propius milio accedit. Calamus in parte ſua inferiore ſuccum dulcem prouti prima ſpecies continet, iiſdem vti primi holci inſeruiens vſibus. Folia gratum alimentum pecori et bobus exhibent. Varietas quaedam ex hac emergit, quae admodum glabra eſt, nuda pilis et pecori grata. Tertia ſpecies eſt *Holcus cernuus* p. 128.
cum panicula denſa et arcuata curuatura culmi pendentis. Copioſe haec planta in Arabia, Syria, locis montanis Libani, inſulis orientalibus maris mediterranei et in variis prouinciis Vltramarinis prouenit,

nit, et Dora ac Sorghi dicta est atque sic a LINNEO descripta: *Holcus sorgum seminibus compressis aristatis.* Cum autem circa characterem specificum quidam inter auctores sit dissensus, audiamus super hanc rem Nostrum. Culmus sex pedes aequat crassitie pollicis diuisus in decem nodos, totque folia quot in prima sunt holci specie. Calamus et folia laeuigata, pilis non tecta in summitate, calamus in arcum curuatur terminaturque in paniculam et ob hanc curuaturam versus terram est pendula. Panicula densa oualis figurae. A sorgo vulgari tantummodo differt penicillo et granis internis, grana externe sunt albissima, aristata, rotunditatis compressae, in summitate puncto fusco notata. Calyx duabus squamis pilosis cinereisque constat. E squama exteriore et grano surgit arista obliqua, geniculata. Character distinctiuus est panicula versus terram inclinata et semina albissima et paululum compressa. Breuiter sic potest describi: Milium arundinaceum plano alboque semine, iuba nutante. Varios ad vsus adhibetur, grana ab auibus comeduntur, semina multo vtiliora sunt quam aliorum holcorum, farinam probam exhibent et maccaronibus conditis conficiendis inseruiunt. Grana subtilissimo pilo priuata ad iuscula palatui grata adhibentur. Panis pro pauperibus exinde potest confici, praesertim si ob densitatem ipsius et grauitatem sufficiens quantitas farinae addatur. E calamo aeque syrupus ac
p. 133. liquor vinosus potest praeparari. Quarta species est *Holcus sorgum*, in terra bene culta laete viret ac increscit ad octo et decem pedes, calamus pollicem crassus, octo vel decem nodis instructus, totidemque foliis calamo montano simillimis. Terminatur in paniculam erectam, densam, ouatam. Varietates ratione coloris et formae seminum differunt. Quaedam producunt grana lucida et ferruginosa, aliae

lucida

lucida et rubicunda, quaedam subflaua et glabra, quaedam subflaua et pilosa, quaedam subrubra. Ad semina quod attinet, illa sunt rotunda, et cooperta, rotunda et quoad medium nuda, angulosa, turbinata, aristata, mutica. Holcus Sorgum ita a LINNEO describitur, glumosis villosis, seminibus aristatis, attamen aliis in locis ab ipso confunditur cum Dora veterum, Sorgo nigro, et holco bicolore. Trium varietatum autem apud veteres fit mentio, quae sunt: Milium arundinaceum, panicula contracta et densa; Milium arundinaceum, humilius, semine subrotundo, rubello, et Milium arundinaceum, panicula contracta et densa. Quinta species est *holcus niger* cum panicula pyramidata non confundenda cum specie praecedente, prouti factum est a quibusdam botanicis. Differt autem a quarta specie ob culmi maiorem altitudinem, et ob formam coloremue, comarumque rationem, quae multo magis sunt rarae et figurae quodammodo pyramidalis, cum ramusculis sparsis, inuersis et in terram inclinatis. Semina in prima maturatione sunt alba, perfecte matura fusca. Calyx semina vestiens niger et lucidus. Milium istud est arundinaceum Indicum, seu dora semine nigro. Vsus eius vti praecedentis, aues recusant illud deuorare, nisi ingens sit earum famis deficientibusque aliis alimentis. Sexta species est *holcus saccharatus* coma sparsa. Ex India in Italiam istud milium inuectum est Neronis tempore, nigrum colore, amplum grano, arundinaceum culmo. Adolescit ad pedes altitudine septem, praegrandibus culmis: lobas vocant: omnium frugum fertilissimum. Ex vno grano terni sextarii gignuntur. Seri debet in humidis. In apice calami habet comam sparsam vnius pedis longitudine, et plus, compositus est ex multis ramusculis subtilibus in varios dispositis ordines, quidam sunt longi, sparsi, versus terram incur-

p. 134.
p. 136.

uati et in multos alios diuiſi ramos, quorum in extre-
mitatibus ſemina proueniunt. Ramuſculi trunco
adhaerent, in extrema parte ſunt piloſi, ſemine co-
loris ſubflaui, ſubrubicundo-aeruginoſi, aut alius
coloris non valde diſſimilis ſecundum ſpecierum
p. 137. varietatem. Semen bulla dura piloſa veſtit. Pau-
ciſſimi ipſi ſunt flores ſteriles. Nonnulli herma-
phroditi habent tria ſtamina et vnum germen cum
duobus tubis, corolla eſt ariſtata pellucida, villoſa
et ſquamae calycis quoque villoſae ſunt. Duas vero
de ipſa LINNEVS ſuppeditat definitiones; quarum
altera, Holcus ſaccharatus, glumis glabris, ſemini-
bus muticis, altera, Holcus glumis villoſis, ſemini-
bus omnibus ariſtatis. Erroris huius cauſae varieta-
tes fuere, quarum tres ſunt 1) Milium arundina-
ceum, panicula ſparſa, pendula et ſemine rubro.
2) Milium arundinaceum, altiſſimum, panicula ſpar-
ſa, ſemine luteolo, et compreſſo. 3) Milium arun-
dinaceum, maius, vulgare, panicula vnico ordine
p. 138. pendula, et ſemine rubro. Cultura et vſus huius
plantae et praecedentis quartae ac quintae ſpeciei,
cum eiuſdem varietatibus eo redeunt, vt ſemine-
tur menſe Aprili, in quocunque ſolo bene proue-
nit, at multo melius in humido ac pingui, matu-
rat in autumno, terram tamen emaciat et nocet
frumento. Quarta quintaque ſpecies in fertili ſolo
multa profert grana, ſcopa autem in minori copia,
neque ita proba. Varietates maiorem copiam gra-
p. 139. norum exhibent. Septima ſpecies eſt *Holcus bico-
lor*, cum calyce nigro et ſeminibus albis. Aliquo
modo conuenit cum quarta, quintae quoad culmum
et folia accedit propius. Forma et diſpoſitio pani-
culae, color niger et ſplendor calycis, ſeminaque
alba characterem diſtinctiuum eiuſdem conſtituunt.
Panicula in plures ordines ſiue verticilla diſtantia
a ſe inuicem diuiſa eſt. In vnoquoque ordine ap-
parent

parent ramuſculi ſubtiles et recti, in varios alios
ſubdiuiſi, qui in fine forma ouali acuta inſtructi ſe-
mina in calyce exhibent. Eſt igitur holcus bico-
lor, holcus ſorgum, panicula coarctata, ouali, erecta,
locuſtis hermaphroditis obouatis, paene glabris,
ſubariſtatis. BAVHINVS Milium arundinaceum
ſubrotundo ſemine, et TOVRNEFORTIVS Milium
arundinaceum Indicum, ſeu Doram ſemine partim
albo, partim nigro appellat. Seminatur Menſe
Majo, tarde ad maturitatem peruenit. Grana pila
contuſa a villicis et in farinam redacta ad polenta ad-
hibentur, pullis praeterea, maialibus, aliiſque anima-
libus loco alimenti ſunt.

III. *Com.* MARCI CARBVRI *commentatio de pro-* p. 141.
*ducto minus cognito ex decompoſitione tartari vitrio-
lati puriſſimo obtento per cocturam in aqua*, lecta d. 28
Nouembr. 1782. Experimenta et productiones cum
tartaro vitriolato a celeberrimis chymicis factae
ante omnia commemorantur breuiter, quibus tan-
dem adiiciuntur ipſius experimenta. Videlicet tar- p. 144.
tarum vitriolatum puriſſimum, quem ex methodo
vulgari omni alia mixtione ſalina priuauerat, de no-
uo immiſit in aquam deſtillatam, qua euaporata at-
que exhalata obtinuit cryſtallos. Immiſſo eodem
in extractionem acidi nitroſi aucto ignis gradu vi-
dit, quod in vaſe retorto in eodem permanſerit ſtatu.
Inſtituit experimenta numero 19 quae fuſius hic ac
diligentiſſime deſcribuntur, atque mixturam ſalino
terream obtinuit. Deinde experimento 20 ſqq. p. 157.
primum productum terreſtre ex reſiduo filtratae
decompoſitionis mixturae terreo-ſalinae vberius de-
ſcribit, et ad alterum productum ſeſe accingit et p. 164.
experimento 36 vſque ad 42. veritatem dictorum p. 168.
ſuorum comprobare ſtuduit, atque de actione cu-
iuſdam acidi in mixturam terreo-ſalinam non de-
compoſitam rationem reddit in experimento 42

vſque ad 60. Omnia eo fere redeunt: per coctura, aſſiduam fortiorem ex puriſſimo tartaro vitriolato obtinuit propriam aliquam terram, quae ipſi terra primigenia ſalis lixiuioſi vegetabilis eſt, cryſtalli autem videntur ipſi principium acidi vitriolici STAHLII eſſe. Haud parum eius opinioni fauere videntur fortiores odores lixiuioſi inter coquendum euaporantes. Sed forte illa producta aliquam ſpeciem gypſi obtinuere, quae, niſi nos omnia fallunt, non depoſiti ſalis medii naturam ac indolem prae ſe fert.

p. 178. 8. *Deſcriptio aurorae borealis d. 19. Febr. 1780 obſeruatae Patauii* ab Cl. *Abbate* IOSEPHO TOALDO, lecta d. 2 Mart. 1780, quam GASSENDVS
p. 190. lucem borealem, luculam borealem appellat. Subnexus eſt catalogus aurorarum borealium penes veteres Romanos.

p. 195. 9. *Obſeruationes barometricae in quibus determinatur duplex fluxus et reflexus quotidianus in atmoſphaera* auctore Cl. *Abbate* VINCENTIO CHIMINELLO, lecta d. 20 Ian. 1780.

p. 208. 10. *Inquiſitio cauſae principis huius fluxus et refluxus, et cauſae idem phaenomenon concomitantis*, ab eodem auctore propoſita ac lecta d. 18 Maii 1784.

p. 242. 11. *Commentatio de legibus agitationis fluidi contenti in vaſis oſcillantibus*, conſcripta ab Ill. *Comite* SIMONE STRATVO et lecta d. 6. Iun. 1782.

p. 265. 12. *Siderum obſeruationes habitae a Patauinae ſpeculae exordiis vſque ad annum 1779 exeuntem a* IOSEPHO TOALDO *et* VINCENTIO CHIMINELLO propoſitae d. 17 Febr. 1780. In praefatione praecipue Patauinae ſpeculae atque vrbis latitudo ac longitudo geographica inueſtigatur, igitur de linea meridiana, altitudine poli, longitudine Geographica agit, et obſeruationes aſtronomicas quaſdam addit.

13. Ob-

13. *Obſeruationes meteorologicae Patauii ad ſpeculam aſtronomicam inſtitutae a* Cl. TOALDO anno 1780-1781. p. 285.

14. *Obſeruationes aſtronomicae iuſſu regis inſtitutae eo conſilio in ſpecula ſeptentrionali caſtelli S. Elmi in Neapoli, vt altitudo poli fortalicii determinetur, eo potiſſimum tempore quo linea meridionalis ab vno extremo regni ad alterum eſt prolonganda,* miſſae ad Academiam ſcientiarum, litterarum ac artium Patauinam a Cl. RIZZIZANNONI. p. 311.

15. *Commentatio* Cl. IOH. BAPT. NICOLAI *ſuper noua curuarum linearum geneſi.* p. 313.

16. *Introductio nouae cuiuſdam theoriae muſices* commentatio prima auctore Cl. ALEX. BARCA, lecta d. 23. Iun. 1783. p. 365.

17. *Diſſertatio phyſico-mathematica de vibratione tympani,* auctore Ill. *Comite* IORDANO RICCATI. p. 419.

18. *Commentatio de commodis ex philoſophia ſpeculatiua in ſocietatem redundantibus* auctore ANTONINO VALSECCHI, lecta d. 6. April. 1780. p. 447.

19. *Commentatio* Cl. *Abbatis* CLEMENTIS SIBILIATI *ſuper ſpiritu philoſophico in litteris elegantioribus,* lecta d. 29 Noubr. 1779. p. 456.

20. *Sermo* Cl. *Abbatis* IOH. ANTONII GARDIN *quo probatur, educationem moralem nationis multo meliorem et magis fidam eſſe, ſi fiat per inſtitutionem poeticam quam per philoſophiam.* p. 520.

XIV.

PAVL. CHRIST. FRID. WERNERI Vermium inteſtinalium breuis expoſitionis Continuatio tertia *) auct. IOH. LEONHARDO FISCHERO, Phil. et A. L. Mag. Medic. Bacc. et in theatr. ana-

 tom.

*) Vide Comment. Noſtr. Vol. XXIX. p. 131.

tom. Lipſ. Proſect. Cum tab. quinque ad nat. pictis. Lipſiae ap. Cruſium 1788.

Non potuiſſet ſane optatius quicquam libro huic Werneriano, patre orbato accidere, quam quod curam eius ſuſciperet Cl. FISCHERVS, cuius non minorem in obſeruandis rebus ſolertiam quam ingenii ſagacitatem eſſe facile intelligunt omnes. – Inſerta eſt tertiae huic continuationi praeter egregias quaſdam *obſeruationes de taenia hydatigena in carne ſuis nuper inuenta*, *diſſertatio de oeſtro ouino atque bouino* *); in qua, poſtquam nonnulla de vermium hiſtoria, deque oeſtris in genere diſputauit, de ouis oeſtro ſermonem inſtituit. Cuius oeſtri ſemina ab initio menſis Auguſti vſque ad ſeptembrem animalibus inſidiata in imas nares et fauces ipſorum oua ſua deponit. Quae contra eos, qui oeſtrum oua alimentis animalium brutorum immiſcere putant, his praeſertim ſuffulcit argumentis: non noſſe oeſtrum, qua herba, quo folio nutriatur animal, ſtabula ipſa ob timiditatem ipſi innatam prorſus fere fugere, praeterea etiam tantam ei ineſſe prolis curam, qua in herbas temere ipſam non proiiciat. — Intra aliquot dies ouis calore animali excluſis laruae prodeunt, quae ſub finem menſis Maii ad eam corporis magnitudinem perueniunt, vt quieſcentes duodecim, inter rependum extenſae quatuordecim lineas aequeant. – Color ipſarum ſordide albidus, flauus

*) Publice defendit hanc nuper Cl. Auctor pro iuribus magiſterii obtinendis, ſic inſcriptam: *Obſeruationes de Oeſtro ouino atque bouino factae.* Diſputatio quam Ampliſſi. Philoſ. Ordinis conſenſu a. d. XVIII. Cal. Ian. MDCCLXXXVII. defendet IOH. LEONH. FISCHER A. L. Mag. etc. reſpondente BERNH. GOTTLOB-SCHREGER, Med. Bac. c. tabb. quatuor aeneis.

uus et rubicundus, tergum conuexum, abdomen plerumque magis planum, inciſurae corporis ſemper decem inaequales, in quarum praeſertim nouem anteriorum ſuperficie multae breues corneae ſpinae, inordinatae, aeque albae, in tergo rariores et ſubtiliores quam in abdomine. Ad latus abdominis tubercula ſpinoſa tot plerumque, quot inciſurae, inter rependum quam maxime vtilia. In capite duo mobiles, parui, incuruati, cornei fuſco nigricantes, iuxta ſe inuicem poſiti vnciformes hamuli, quorum quiſque in duo proceſſus anteriorem et poſteriorem quatuor radicibus albidis cartilagineis anterioribus et poſterioribus ad ſecundam vſque inciſuram in corpus vſque penetrantibus (hinc vis ac firmitas hamulorum,) inſtructos abit. Vterque anterior proceſſus excauatus recipit duos oeſophagos ſtatim vnitos, poſtea ſecedentes bifidum formantes ventriculum. In medio capite intra hos hamulos orificium exſpiratorium, cum ramis vaſorum aëreorum organi inſpirationis in poſteriore corpore poſiti, breui anaſtomoſi coniunctum. In ſupremo capitis margine duo acini ſenſorii, e quibus duae albae ſtriae, vere neruoſae deriuantur, per totam corporis interioris longitudinem multos ramos diſpergentes. – Poſterius corpus anteriori craſſius et magis obtuſum, in quo tria orificia inſpiratoria, duo ſuperiora e regione ſibi oppoſita, tertio inferiori medio cernuntur, quod breuem canaliculum addit duobus ſuperne exeuntibus canalibus albidis; vaſa haec ſunt aërea fere cartilaginea, intus per medium corpus ſuper inteſtina craſſa ſerpentia, e latere exteriore ramulos ſpargentia, quorum alii maſſam quandam albidam inorganicam, alii cutem adeunt. Sub tertio orificio rima tranſuerſalis, a quatuor in extrema corporis parte eminentiis formata, in qua orificium ani latet. – Cutis laruae quam maxime ela-

 ſtica.

ſtica. Sub illis vaſis aëreis inteſtina craſſa, tres diuerſae diametri canales, anterius a ventriculo biſido oriuntur, multis variiſque flexibus in vnum anum terminantia. – Praeter haec in ventre varia muſculoſa ſtrata ſeſe decuſſantia e tuberculis illis lateralibus oriunda in medium ventrem, vbi punctum ipſis fixum eſt, inſerta: - hinc laruae ad rependum robur. Deſcribit nunc Cl. Auctor quaſdam huius laruae functiones, qua ratione et quibus auxiliis moueantur, qua arte corpora animalia perforent. Liceat vero differentias inter laruam oeſtri ouis et laruam oeſtri ventriculum equi inhabitantis, quas A. commemorat, proferre. Illi (ouis) minus, huic (equi) plane rotundum corpus, illi ſemper decem inciſurae, huic nouem vel vndecim, illi numeroſae ſpinae perpendiculares, illi duplex ſpinarum obliquarum ordo; illi duplex os, huic ſimplex, illi exſpirationis organum, huic videtur eſſe nullum. Differunt quoque inſpiratorii organi ſtructura; illi anus ab organo inſpiratorio remotus, huic intra illud latens. Ad depellendos e naribus infenſos hos hoſpites ſulphuris vapores in nares immiſſi aut ſpiritum frumenti aut oleum rancidum inditum praeprimis valere A. experimentis comperiit. — His
p. 36. expoſitis de bouis oeſtro diſſerit. – Muſcam diligenter et additis iconibus deſcribit. Quod ad rationem, qua oeſtrus hic cuti animalium oua ſua ingerat; attinet, eorum ſententiam, qui ex aëre oua in cutem brutorum ab ipſo deiici, affirmant, validis argumentis egregie oppugnat. – De tuberculis cuta-
p. 45. neis,(Viehbeulen,Engerlinge) etiam praecipit. Menſe Iunio laruae corporis incremento abſoluto, X vel XV lineas longae, VII. lin. craſſae, oblongae et ouales, in iuuentute ſordide pallidae, flauae, paulo poſt fuſcae prodeunt. Tergum ipſis et abdomen planum, quin leniter excauatum, decies vel duodecies inciſum,

ſum, non ſpinoſum, leuiter punctatum, triplex in vtroque latere tuberculorum varie gyratorum ſupra acuminatorum ordo. – Caput reliquo corpore minus, tripliciter tuberculatum; longitudinali tranſuerſa eminentia in duas partes diuiſum, inferius os ſimplex, ad cuius latera duo orificia exſpiratoria. Hamuli cornei, acini ſenſorii, vt videtur, nulli. In poſteriore corporis parte duo cornea, fuſco nigra, ſemicircularia corpora, duobus cornubus verſus ſe inuicem poſita, intra quae duo orificia inſpiratoria, ſupra haec anus. Orificia inſpiratoria lateralia nulla. — Interioris corporis ſtructura ouinae laruae ſimilis. Haec larua, vbi corpus egreſſa eſt, non vti prior, in terram ſeſe abſcondit. Notae, quibus larua bouis ab ouina diſtinguatur. – Quaedam de ſanandis illis tuberculis cutaneis. -- Illuſtrantur haec omnia egregiis imaginibus, ab ipſo Auctore aeri dexterrime inciſcis.

Adiectae ſunt obſeruationes *de taenia hydatigena* in carne ſuis inuenta, quas eo veriores praeſtantioreſque eſſe quiſque concedet, cum viuum et incolumen hunc ipſum vermen diſquiſiuerit, quem GOLTZIVS atque OTTO FABRICIVS non niſi emortuum viderunt.

Ne autem nimis longi ſimus, liceat ea tantum afferre, quae propria Cl. Auct. videantur, et in quibus a reliquis diſſentiat. -- Finnam in cellulis tantum reſidere negans, eam praeditam eſſe contendit externa quadam veſica, internam vndequaque cingente, contexta e tela celluloſa, carnis fibras eiuſque ſtrata connectente, quam vaſa circumrepunt ad veſicam externam ſuccum taeniae nutritium vehentia, quem capite ex interna veſica protenſo vermis capit. Quare OTT. FABRICII opinionem de locomotiuitate huius vermis inanem reiicit. Membrana interior poroſa et ad ſimilitudinem pulpae ſambuci

 nigri

nigri facta, hinc ad resorbendos humores apta. Pluribus experimentis edoctus statuit finnam, quam dicit FABRICIVS taeniam lobatam, esse laesam neque integram, et ortum vel violentiae cuidam vel exsiccanti aëri debere. Describit deinde accuratius corpus, collum et caput vermis, et lente optica auctum depingit, emendans ea, quae FABR. et GOETZ. in delineandis his partibus vitia commiserant. Caeterum finnam suis aut parum aut nihil ab humana differre. —

## XV.

IOHANNIS ERNESTI NEVBAVER Medicinae Doct. Anatom. Chir. atque Art. Obst. apud Ienenses quondam Prof. publ. ordin. etc. Opera anatomica collecta. Editionem curauit GEORG. CONR. HINDERER, Med. D. ac Phys. Hasso-Darmstad. Francof. et Lipsiae ap. Ioh. Chr. Krieger, jun. 1786. 4.

Laudabilem in edendis his dissertationibus operam posuit HINDERERVS, praemissa simul vita NEVBAVERI a BALDINGERO germanice relata, et latine vulgari modo versa. — Complectuntur his paginis 1. Diss. inauguralis anatomica *de tunicis vaginalibus* testis et funiculi spermatici *), pro Grad. Doct. impetrando, Giessae MDCCLXVII. 2.) Obseruatio anat. chir. *de epiploo - oscheocele* etc. Ienae MDCCLXX. 3.) Descriptio anat. *neruorum cardiacorum*. Sectio prima de neruo intercostali ceruicali, dextri imprimis lateris **) Ien. MDCCLXXII. 4.) Descriptio *anat. arteriae innominatae et thyroideae imae* ***), Ien.

*) Vide Comm. nostros Vol. XVII. p. 530.

**) Vide Comm. nostr. Vol. XX. p. 37.

***) Vide Comment. nostros, Vol. XX. p. 42.

Ien. MDCCLXXII. 5) Obſ. anat. rarior *de triplici nympharum ordine.* Ienae MDCCLXXIV. 6.) Deſcriptio anat. rariſſimi *peritonaei conceptaculi, tenuia inteſtina a reliquis abdominis viſceribus ſecluſa tenentis.* Ienae MDCCLXXVI.

XVI.

Ad orationem aditialem profeſſionis Hiſt. nat. extraord. in Ac. Lipſ. a. d. XVIII Aug. CIↃIↃCCLXXXVII. audiendam obſeruanter inuitat D. CHRIST. FRID. LVDWIG Med. et Hiſt. Nat. P. P. E. -- *Praemiſſa eſt hiſtoriae anatomiae et phyſiologiae comparantis breuis expoſitio.*

Primum Cl. Auctor tabulam ſcriptorum, qui ad hunc locum pertinent, chronologicam propoſuit, poſtea de periodis et fatis vtriuſque diſciplinae ipſis loquutus. Prima periodus ab antiquiſſimis temporibus et priſca aetate ad annum procedit CIↃIↃXLIX, lanienam, victimas et ſtudii zootomici primordia complectens; altera zootomiae perfectioris incipit ab anno CIↃIↃC pertinetque vſque ad annum CIↃIↃCLXXXV; tertia neglecti, et contemti ſtudii zootomici (nam omnem fere operam in ornanda anthropotomia tunc collocabant) orditur ab anno CIↃIↃCLXXXVI et vſque ad annum CIↃIↃCCXLIX pertingit: vltima denique reſtauratae anatomiae comparatae ab anno CIↃIↃCCL ad noſtra et recentiſſima tempora deducitur. Nominantur deinde docti homines, qui ſingulis periodis in tractanda vtraque diſciplina excelluerunt. Ita autem Cl. Auctor rem ſuam perfecit, vt ſummam diligentiae et doctrinae laudem mereretur. In ipſa oratione perſcrutatus eſt *cauſſas, cur tot fabuloſae narrationes et fictiones in ſcientiam naturalem fuerint illatae.*

Huius

Huius muneris auſpicia commilitonum nomine gratulatus BERNHARDVS GOTTLOB SCHREGERVS *Med. Bacc.* libellum edidit: *Peluis animantium brutorum cum humana comparatio. Spec. I.* Poſtquam ſatis magnam peluium e mammalibus, auibus et amphibiis deſumtarum copiam A. deſcripſit, eorum, quae ex his obſeruationibus deduci poſſint, ſummam retulit, vberiorem quidem expoſitionem ſpecimini alteri reſeruans. Cui promiſſo vt ſtet, nulli non optamus.

## XVII.

Conſiderationes pathologico-ſemeioticae, de omnibus humani corporis functionibus, quae per partes ſucceſſiuas ſub theſium forma propoſitae fuerunt per triennium ſtudii medici in vniuerſitate Biſuntina, auctore ac Praeſide N. F. ROUGNON, Doctore medico, in eadem Vniuerſitate Profeſſore Regio, ſcientiarum Academiae Biſuntinenſis, nec non Regiae ſocietatis medicae Pariſiorum ſocio, Faſciculus alter, Veſuntione, Typis I. F. Couche vniuerſitatis regiae Typographi 1788. 4. pagg. 442.

Libri huius egregii primum faſciculum nuper recenſuimus *) et noſtrarum partium iam eſſe duximus alterum quoque faſciculum, qui prodiit, examini ſubiicere, quod eo lubentius facimus, cum illud opus omnibus numeris abſolutam et perfectam complectatur ſemeioticam pathologicam. Omnia autem Cl. A. nouem complexus eſt capitibus, quae in complures articulos ſunt diuiſa, et hi denuo in

*) Vide Comm. Noſtr. Vol. XXIX. p. 643.

in paragraphos. De praeſtantia huius libri nihil amplius monendum habemus, cum iam de ea abunde diximus, atque ex noſtris verbis quilibet ſtatim intelligere poterit, eum non facile hoc libro carere poſſe, qui de principiis artis medendi animum ſuum probe inſtruere cupiat. Per partes autem eundo primum explicauit, qualis ſit phyſica hominis vita et quales functiones ſint, quibus ea conſeruanda ſit, et ſeorſim demum indicantur ſigna, ex quibus poſſimus colligere, illas functiones eſſe alteratas laeſaſque, et quaenam ſint cauſae iſtarum p. 1.
alterationum. I. agit *de reſpiratione*. Reſpiratio ſaniſſima eſt, quando ſequentes habet qualitates, nempe ſi exerceatur abſque rumore et difficultate, ſi adeo lenta, quieta ac lenis ſit, vt vix aduertatur thoracis motus; ſi praeterea obſeruetur aliqnantula perfectae quietis morula inter ſingulas inſpirationes et exſpirationes, denique ſi reſpiratio difficulter anheloſa fiat occaſione corporeorum motuum, aut ſi eius tranquillitas facillime ſaltem reſtituatur a quiete corporis ſuccedente. Symptomata peculiaria, quae in functione reſpirationis contingunt, ſunt tuſſis, ſtertor, ſingultus, ſternutatio, p. 21.
oſcitatio, riſus, fletus, incubus ſeu Ephialtes. Morbi autem contingentes in reſpirationis functione ſunt, aſthma, angina, hydrops pectoris, catarrhus febrilis, catarrhus ſuffocatiuus, tuſſis ferina conuulſiua infantum, pleuritis, peripneumonia, vomica pulmonum, empyema, haemoptyſis, phthiſis pulmonalis, hepatitis. Agit porro de ſecretioni- p. 97.
bus. Secretiones omnes optime perfici iudicare licet ex debita qualitate ac copia ſecretionum ſenſibilium, nec non ex conſtanti ac illibato functionum omnium exercitio. His omnibus conſideratis quoad mutuas relationes, indicatur non ſolum libera eſſe colatoria ſenſibus obuia, ſed et ea, quae ſen-

ſuum

ſuum aciem fugiunt; exindeque patet optime eſſe
conſtitutos humores ſecernendos ac excernendos
p. 101. per diuerſa haec viuentis corporis colatoria. Ad
ſecretiones autem particulares referuntur, ſaliua,
humor oeſophageus, ſtomachalis et inteſtinalis, li-
p. 108. quor pancreaticus, bilis. Nunc ad icterum album
ſeu icterum improprie dictum accedit, qui eſt ex
Cl. A. ſententia, ſtatus cachecticus, in quo facies
aegrotantis fit veluti cerea, et tingitur colore palli-
do in flauedinem dilutiſſimam inclinante, fere ſicut
in chloroſi, et in quo praeterea apparent quaedam ſi-
gna, quibus indicatur penuria bilis in officina chyli.
p. 109. Icterus contra verus, ſeu proprie dictus iam deſcri-
bitur. Hanc delineationem ſequuntur ſynouia,
anchyloſis, rheumatiſmus, humor trachealis et mu-
cus narium, humor pericardii, pleurae, peritonaei
p. 159. etc. ſudor et perſpiratio. Accedit ad affectus quoſ-
dam cutaneos, minime tamen hic egit de variis pa-
pulis et exanthematibus febrilibus, ea ſiquidem in-
dicantur capite 18. art. 3. ſect. 3. vbi de febribus
eruptiuis ſermo eſt; quaedam dumtaxat verba fe-
cit de naeuis, ephelidibus, gutta roſea, ſcabie, li-
chenibus, herpetibus, vtpote quae frequentiora
p. 167. mala ſunt generis cutanei. Sequitur *vrina*, affectus
organorum vrinariorum, affectio renum ſpaſmodi-
ca, nephritis, abſceſſus et vlcus renum, calculus
veſicae, mictus cruentus, abſceſſus et vlcus veſicae,
dyſuria et ſtranguria, iſchuria, vrinae incontinentia,
diabetes, humor ſebaceus, tinea, caluities, cerumen
p. 217. aurium, humor lachrymalis et lippitudo. *De inha-
latione.* Nemo non nouit eam intus ſuſceptionem
variarum materiarum, quae fit per ſolutas integu-
mentorum externorum continuitates, ſeu per vul-
nera, ſeu per morſus, cuius inhalationis exemplo
videtur orta idea omnigenae morborum inoculatio-
nis. Sed et nemo neſcit humanam cutem inte-
gram,

gram internamque pulmonum ac inteſtinorum ſuperficiem, inhalationi perinde aptam eſſe ac exhalationi ſeu perſpirationi. Haec claſſis ſiſtit 1. miaſma magnetiſmi animalis dicti. 2. miaſma electricum. 3. miaſma ignis calorifici 4. miaſma aereum multiplex. 5. miaſma humidum. 6. miaſma ſcorbuticum. 7. miaſma pſoricum, 8. miaſma petiginoſum, 9. miaſma ſyphiliticum. 10. miaſma rabioſum, 11. miaſma viperinum, 12. miaſma puſtulae malignae dictae 13. miaſma tarantulaeum. 14. miaſma peſtiferum, 15. miaſma varioloſum, 16. miaſma morbilloſum, ſeu rubeoloſum. *De nutritione.* Ex vario ſtatu nutri- p. 281.
tionis corporis humani licet mutuari plurima phaenomena pathologico-ſemeiotica, quorum alia reſpiciunt morbos, ſanitatem alia. Quaedam nunc de illis dicenda incumbunt incipiendo a poſterioribus. Signa ſanitatis quoad nutritionem repetuntur 1. ex aequabilitate inter ingeſta et egeſta 2. ex perennitate congrui appetitus, 3. ex conſtantia virium corporis et animi, 4. demum ex debito corporis habitu, qui in vultu praeſertim conſiderandus. De his quatuor capitibus per partes egit, quibus ſubiunxit morbos cum nutritione connexos, videlicet, tumores particulares, qui mentiuntur nutritionem adauctam, phthiſin dorſalem dictam, cachexiam dictam ſeu tabem vel maraſmum, vbi et de atrophia, cachexia humida, rachitide, hydrocephalo. *De fun-* p. 303.
*ctionibus animalibus.* Inprimis hic agitur de vulneribus capitis, vulneribus externarum partium, pericranii laeſione, caluariae ipſius laeſione; de effracti cranii fruſtis apud adultos intropulſis, et intropreſſis cranii iuniorum, exponit, quae oriantur ſi fiat extrauaſatio quaedam occaſione cranii fracti aut contuſi, porro de commotione cerebri illaeſo ſaepe cranio, de functionum animalium affectibus ſtipatis delirio, de morbis formatis eſſentialiter ſtipatis delirio et febre,

febre, de comate febrili et lethargo. Subiuncti sunt morbi formati delirio stipati sine febre, melancholia, nostalgia, mania, morbi conuulsiui, epilepsia, catalepsis, scelotyrbe, affectus soporosi, ca-
p. 377. rus, apoplexia, somnambulismus. Tandem tractatur de pubertate et catameniis ac de conceptione,
p. 385. grauiditate, abortu ex partu. Plura commemoranda nobis non sunt, cum ex dictis quilibet iudicare poterit hunc librum esse vtilissimum, et ita scriptum sane, quomodo solertia professoris eruditissimi sperare iubebat; ipsique locus princeps assignandus in vniuscuiusque medici bibliotheca.

XVIII.

D. IACOB CHRISTIAN GOTTLIEB SCHAEFFERS *Versuch einer medicinischen Ortbeschreibung der Stadt Regenspurg, nebst einer kurzen Ueberslicht der Krankheiten, welche in den Iahren* 1784, 1785, *und* 1786. *daselbst geherrscht haben, Regensburg* 1787. *bey Ioh. Leop. Montags Erben, pagg.* 220. 8.

i. e.

D. IOH. CHRISTI. THEOPH. SCHAEFERI Tentamen topographiae Ratisbonensis, etc.

Topographiarum maximam in omni re medica esse vtilitatem a veteribus iam medicis praedicatam, ac celebratam et a recentioribus suis studiis ita nobilitatam, constat vt et celeberrimae societates litterariae saepissime praemia proponere, ac decernere minime iis dubitauerint, qui topographias concinnare sibi sumserunt. Nolumus iam in commemorandis illis vtilitatibus esse multi, quas quilibet cogitando percipere atque assequi potest facillime, indicabimus

mus potius Noſtrum hanc topographiam non inuita Minerua ſcripſiſſe. Huius autem libri edendi conſilium ipſi ſuggeſſit febris biliofa epidemica anno 1783. Ratiſbonae graſſans, quam attente inquiſiuit, omniaque phaenomena atque totum decurſum morbi accurate obſeruauit, atque obſeruationes factas vna cum medendi ratione litteris conſignauit. Anno proxime ſequenti denuo haec conſtitutio quibuſdam circumſtantiis mutatis ſaeuire coepit, atque faciem bilioſo-pituitoſam prae ſe tulit, quae dolores rheumaticos pertinaciſſimos omnis paene generis non tantum habuit comites, ſed et latentes in corporibus morbos alios quam celerrime prodire iuſſit, inprimis phthiſin pulmonalem, febrim puerperarum et quamplurimos alios morbos. Quorum quidem morborum hiſtoriam cum aegrorum et defunctorum catalogo in diario ad priuatos vſus diligenter notatam, in ordinem redegit atque edidit, praemiſitque topographiam Ratiſbonae, ſimulque de diaeta vitaeque genere ſuorum popularium et mortibus frequentioribus, quibus infeſtantur, egit, atque ex obſeruationibus meteorologicis, indicibus neonuptorum, neonatorum et defunctorum et recenſione breui morborum vniuſcuiuſque menſis per decem annos proxime elapſos declarare omnia huc ſpectantia ſtuduit. Ad calcem autem libri catalogum animalium, plantarum et mineralium huius regionis addidit, atque hac ratione et medicis et naturae ſcrutatoribus huncce libellum vtiliſſimum reddidit.

Incipit autem ab ipſa geographica deſcriptione Ratiſbonae, eamque vrbem antiquiſſimis Germaniae accenſendam eſſe iudicat, non tantum ob varia nomina, quibus ſalutatur, et quae de eius antiquitate luculentiſſima perhibent teſtimonia, ſed etiam ex marmoreis inſcriptionibus ac repertis numiſmatibus

 Auguſti,

Augusti, Tiberii, Caligulae, Neronis, quae declarant hanc ipsam vrbem Romanorum veterum olim fuisse subiectam imperio. Anno 1181. iura ciuitatis imperii a Friderico Barbarossa ipsi fuere collata; 1542 magistratus ac ciues publice Augustanae confessioni sese addixere, et ab anno 1662 comitia imperii ad nostra vsque tempora ibi habentur. Danubius ipsam alluit, et in parte septentrionali montes arboribus consiti non adeo alti eam cingunt, in orientali autem et meridionali regione planities eius situm reddit admodum gratum. Constitutio annorum varia est, et tribus annis proxime elapsis
p. 18. caelum ipsi fuit minus clemens. Vtplurimum hiems est temperata, aestas admodum calida, autumnus amoenus. Venti saluberrimi hanc regionem perflant, siquidem Fauonius, Argostes, Eurus et Hypeurus frequentissimi, et Subsolanus admodum rarus est. Hinc aeris temperies proba, attamen paulisper grauis, crassa et humida: aqua pura, pellucida, insipida et bonae indolis. In vicinia aquae
p. 23. minerales Abacenses prosiliunt, continentes acidum sulphureum volatile cum terra calcarea coniunctum quod balneis inseruit, hinc in rheumatismis, paralysibus, et morbis cutaneis leuioribus iuuant. Fertilitas piscium soli, et fluuiatilium copia magnam huic vrbi conciliant gratiam. Ratisbonenses ipsi ob animi candorem, fidem, et dexteritatem laudari merentur, at labores duros intensosque fugiunt, luxus vt in aliis vrbibus etiam hic residet. Inter infantes glandularum obstructiones admodum sunt frequentes, rachitis admodum rara est, vti et gibbositas. Masturbationes et lues venerea quoque saeuiunt, sed non tam diro modo vt in aliis ciuitatibus. Et quia coniugia demum maturescentibus annis contrahuntur, valida vtplurimum sunt corpora, et fortes fortibus procreantur. Nosocomia, orphanotrophia et pharmacopolia

macopolia de cura ſanitatis publicae magiſtratus teſtantur. Quindecim medici practici iam in hac vrbe commorantur. Frequentiores vero morbi occurren- p. 52. tes ſunt chloroſes, hydropes, et morbi abdominales, quorum cauſa haud dubie in humida aeris temperie et cereuiſia admodum ſaturata quaerenda. Leucorrhaea habitat penes femellas lautiores et nobiliores. Haemorrhoides vtrumque ſexum infeſtant. Vlcera gangraenoſa mammarum et vteri rariſſime occurrunt. Scorbutus plane exulat, neque frequentes ſunt febres intermittentes. Scabies contra pueris et artes manuarias tractantibus propria videtur eſſe. Dein febrem ſtationariam bilioſam epidemicam an. 1783. et 85. et gaſtricos morbos p. 57. anni 1786 vna cum medendi methodo deſcripſit, atque per omnes menſes morbos occurrentes expo- p. 111. ſuit. Sequitur animalium catalogus in hac regione p. 197. viuentium, in quo mammalia, aues, amphibia, piſces ſecundum ſyſtema LINNEI ed. 13. inſecta ſecundum ſpecies inſectorum FABRICII, inſecta gloſſata ſecundum indicem ſyſtematicum Papilionum Vindobonenſem, et infuſoria, helmintica, teſtacea, ſecundum vermium terreſtrium et fluuiatilium ſeu animalium infuſoriorum, helminticorum et teſtaceorum hiſtoriam MVLLERI digeſſit. Plantarum no- p. 253. menclatura ibidem creſcentium ex ordine LINNEI recenſetur. Catalogus minerarum et petrefactorum p. 305. ita concinnatus eſt, vt regnum minerale ſecundum CRONSTEDTII mineralogiam ſit diſpoſitum. Obſeruationes a Cl. A. inſtitutae, et morborum hiſtoriae ita ſunt conſcriptae, vt ex iis medicus inprimis practicus maxima capere queat commoda, neque hiſtoriae naturalis amicis reliqua diſplicere poterunt.

## XIX.

*Mediciniſche Fragmente aus der Verlaſſenſchaft des D.* THOM. KNIGGE *in Regenſburg nebſt deſſen Lebenſlauf und Schattenriſs herauſgegeben von D.* IOH. IAC. KOHLHAAS, *Regenſburg* 1788. *in der Montagiſchen Buchhandlung.* 8. 222. *pag.*

i. e.

Reliquiae medicae ex haereditate D. KNIGGE, editae a KOHLHAASIO.

Eo lubentius haſce reliquias etiam hic commemoramus, cum vna cum illis biographiam breuiorem, vti alias fecimus, ſubnectere poſſumus, quae non medicorum ſed et Lexicographorum litterariorum
p. 4. rum vſibus inſeruire poteſt. Cl. autem Th. KNIGGE natus eſt Ratiſbonae d. 10. Septbr. 1756. patre Iohanne Iulio, etiam medico emerito et etiamnum ſuperſtite, a priuatis magiſtris in religionis litterarumque rudimentis probe inſtructus demum in Gymnaſium ſic dictum poeticum Ratiſbonenſe introductus eſt. Anno 1777. a ſocietate Homburgo-Haſſiaca inter ſocios eſt accitus, atque eodem adiit anno Georgiam Auguſtam, in qua inter ciues Academicos relatus eſt a Cl. BALDINGERO. A doctiſſimis ibidem Profeſſoribus egregie inſtructus Erlangenſem adiit Academiam, ibique 1780 honores ſummos in arte medica defenſa diſſertatione de mentha piperitide conſecutus eſt. Vindobonam deinde ſeſe contulit, vt in publicis noſocomiis proficeret. In patriam redux medicinam exercuit atque artis obſtetriciae medicus conſtitutus eſt. Anno 1784. matrimonium iniit cum Virgine CATH. SVS. BASCHTA, ex qua duos ſuſcepit liberos, filiam, poſt patris obitum exſtinctam, filiumque ſuperſtitem, et ipſe haemoptoe correptus

reptus d. 12. Ian. 1787. obiit. Reliquiae autem quae hic proſtant ſunt 1) *de dubiis et incertis mortis ſignis, et de periculo viuae humationis*, quam variis caſibus ac hiſtoriis illuſtrauit. 2) *De temperamentis eorumque in ingenium efficacia*, in quo agit de temperamentis in vniuerſum, vbi accurate temperamentum definit, atque de cauſis temperamentorum eorumdemque differentiis rationem reddit, diuiſionem vulgarem reiicit, atque tantummodo ſanguineum et phlegmaticum pro veris temperamentis agnoſcit, potius temperamentum in hilare, triſte, vehemens et iracundum, phlegmaticum, virile, moderatum, volatile et inconſtans diuidit atque cauſas de iis adducit, verum enim vero deſideramus hic verum diuidendi fundamentum, et omnes hae commemoratae ſpecies tanquam diuerſae modificationes variorum temperamentorum ſunt conſiderandae 3) *Miſcellanea ex medicina theoretica et practica vt et chirurgia.* Tantummodo commemorantur tituli, cum in eius ſchedis reliqua deſiderarentur. 4) *De medicorum contra iniquas criminationes defenſione.* Cauſas principes harum criminationum conſtituunt inuidia, et concertationes inter medicos ipſos exortae. Inprimis vero duo ſunt, quae vitio vertuntur medicis, et quorum cauſam defendendam in ſe ſuſcepit. Primo arti medicae vitio verti ſolet, quod pleraque ipſius dogmata, quin integrae diſciplinae in incerto ſint poſitae, atque ab omni dubitatione nunquam liberandae. b) Prouocant ad atheiſmum, ſaltem ad Pyrrhoniſmum et falſas de rebus diuinis opiniones, quibus medici faueant, et quibus aegrotantium animos peſtilentioribus morbis implicent, atque a vera religione abducant. His criminationibus euidentia ac firma opponit argumenta, eaſdemque diluere ſtudet. 5) *Examen hypotheſium, quibus infantis deformitates poſt matris grauidae pathemata*

p. 27. p. 43. p. 79. p. 81. p. 104.

*mata obortas et nonnunquam ad ſimilitudinem obiecti animum maternum afficientis accedentes explicare conatur.* Inquirit hic in quaeſtionem: an grauidarum animi perturbationes vi poſſint agere tanta in foetum, vt monſtroſa in ipſius corpore produceretur forma, ſimilitudinem quandam, nexumque habens cum cauſa illa, a qua profecta eſt animi materni commotio. Tres potiſſimum ſunt hypotheſes, quibus miri illi monſtroſi corporis foetus habitus, praegreſſos mentis maternae motus ſequuti, explicantur. Prima eaque ſatis ingenioſa eſt ea, qua matris imaginatio pro cauſa habetur. Hanc praecipue exornauit Cl. KRAVSE in diſſertatione, quam miſit ad Academiam Imperialem Petropolitanam pro impetrando praemio in annum 1756 propoſito; illique decernendo, qui ſolueret quaeſtionem: Quaenam ſit cauſa proxima mutans corpus foetus, num matris grauidae, huius mente a cauſa valentiore commota etc. Quae quidem opinio ſic ſeſe habet. Quando matris animus a viuidis imaginibus ſimulque perturbationibus afficitur, tunc illum mentis maternae affectum ingredi quoque putant animum foetus, hunc agere in corpuſculum ſuum, et producere in illo mutationes, impreſſioni acceptae reſpondentes. Quod vero qui fieri poſſit explicat KRAVSIVS hunc in modum: Inter foetum et vterum maternum nexum intercedere arctiſſimum, adeo vt ille cum matre vnum quaſi continuum efficiat, et ſecundinarum chorion cohaerere cum vtero, plurimis neruis inſtructo, per chorion vero, placentam et funiculum vmbilicalem diſtribui neruos, cum neruis vterinis non ſolum, ſed etiam cum neruis cum foetu nexum habentibus; duo haec ſyſtemata neruoſa et matris et foetus vnum continuum conſtituere, hinc etiam affectionem neruorum maternorum propagari poſſe ad neruos foetus ipſius: cum vero nerui

ſint

ſint productiones cerebri, neceſſe eſſe, vt affectiones cerebri, viuidis imaginibus et animi commotionibus ipſi conciliatae, per totum ſyſtema neruoſum ſeſe diffundant, ex hoc ſequi, vt id, quod in neruorum ſyſtemate matris ſit, quando illa animo commota eſt, etiam fiat in neruis vteri, ibi vero eſſe foetum, per neruos et vaſa vnum quaſi continuum cum matre conſtituentem, proinde etiam hunc neruorum maternorum ſtatum non poſſe non tranſire ad foetus neruos ex ipſius cerebro deſcendentes, atque hoc modo ideas maternas deferri ad animum foetus; ab his vero ideis impelli ipſum ad agendum in corpuſculum ſuum eo modo, quem intulerunt ideae excitatae. Quomodo autem mens foetus agat et qua ratione monſtroſum corporis ſui habitum producat, hoc dici et explicari non poſſe. 2. Alii etiam huius rei cauſam et explicationem quaerentes ad vaſorum vteri cum vaſis placentae continuitatem confugerunt. Vltimos ſcilicet vaſorum placentae fines cum vaſis vteri ſeſe coniungere ſibi perſuaſerunt, adeo vt arteriarum venarumque placentae oſtiola cum ſyſtemate arterioſo et venoſo matricis cohaereant, et vnum continuum quaſi conſtituant; hunc in modum ſanguinem matris libero tranſitu ad corpus foetus perferri, ſuperfluum vero per arterias vmbilicales redire ad matrem, nouamque ibi pulmonum maternorum vim experiri. Anima itaque matris commota vniuerſum vaſorum ipſius ſyſtema concuti, hanc concuſſionem propagari vſque ad corpuſculum foetus, ſimulque ſanguinis in orbem fluxum mutari, et pro ratione aut languidiorem aut rapidiorem fieri, et per hanc vaſorum et circuitus ſanguinis vitioſam conditionem non poſſe non permultas in corpore foetus produci monſtroſas mutationes. Tertia denique eaque nouiſſima eſt hypotheſis, quam protulit SCHAEFERVS in diſ-

 ſertatione

ſertatione *) quae inſcribitur: *Foetus cum matre per neruos commercium.* In hac etiam Cl. A. vaſorum vteri cum vaſis placentae continuitatem illam defendit, et deinde argumenta profert, quibus probare vult tranſitum neruorum nonnullorum ex matre in foetum, atque ex hoc duplici foetus per vaſa et neruos cum matre commercio ſe explicare poſſe putat, miras illas infantis deformitates matris vterum gerentis affectus ſecutas. Neutra autem harum hypotheſium Noſtro arridere videtur, et aduerſus vnam quamque quaedam ipſi ſunt monenda.
p. 154. Ingenue tandem ſuam proponit ſententiam, ex qua omnia phaenomena melius explicari illuſtrarique poſſe ſibi perſuadet. Videlicet duas quaeſtiones probe eſſe inquirendas atque ponderandas cenſet a) an reapſe mentis maternae perturbationes poſſint producere mutationes in foetus corpuſculo et quinam illorum modus agendi, b) an adſint exempla indubitata infantum; quorum monſtroſus habitus, matris pathemata ſequutus, veram habeant cum cauſa efficiente ſimilitudinem, et ſi talia exempla exſtant, quomodo phaenomena iſta explicanda? Ad priorem quod attinet concedit per animi materni motus morboſas in foetus corpore poſſe produci mutationes, ſed negat illas ex hypotheſibus propoſitis explicari poſſe, ideoque aliam proponit phaenomenorum explicationem, huius tenoris: In omnibus pathematibus, quibus mens humana afficitur, ipſam humorum mixtionem mutari et pro re nata ſaepius eorum indolem bonam in noxiam, quid? quod venenatam conuerti. Sic perſaepe infantes breui poſt animi perturbationes ex mammis maternis lac ſugentes vehementiſſimis conuulſionibus affliguntur: frequentiſſima ſunt infantum exempla, ſtatim poſt matris terrores lactantium, qui triſmo affe-

*) Prodiit Erlangae 1775.

affecti ſunt. Vis igitur pathematum in corpus animale praecipua aſſumenda eſt, qua blanda et bona humorum indoles in maxime noxiam conuertatur. Quodſi igitur lac maternum per pathemata ſic mutatum in infante iam nato conuulſiones, triſmum, et alios morbos producere valet, nonne longe faciliori negotio in embryonis corpuſculo tenello et maxime irritabili morboſae, immo monſtroſae oriri potuerunt mutationes, quando humorum maternorum ad foetus nutritionem affluentium indoles per pathemata matris in noxiam quid? quod venenatam fere mutatur. Poſterior vero ſic ab ipſo diſ- p. 157.
cutitur: Negare quidem non audet, deformitates veram habere ſimilitudinem cum obiecto animum matris mouente, et v. c. erucam in matris cutem decidentem animum ipſius poſſe afficere adeo, vt in eadem cutis infantis parte, quam in matre ex alto delapſa eruca tetigerat, etiam eruca oriatur. Sed multae res ipſi videntur hoc in ſuſpicionem deducere. Obſeruatae ſiquidem ſunt iſtae deformitates poſt matris affectus obortae, quibus ſimilitudo fuit cum cauſa illa externa animum maternum mouente, ſed in pleriſque ita rem ſe habuiſſe cenſet, vt medicus omnino illas obſeruaret, eaſque ipſe videret, ſed non adeſſet eodem tempore, quo matris grauidae mens ab obiecto quodam afficiebatur, et tum demum, quum infans in lucem iam editus eſſet, eiuſque corpuſculum deforme inueniretur, huius phaenomena hiſtoriam ex matre audiret, quid? quod tum demum ſaepiſſime cum ad aetatem adultiorem iam perueniſſet homo monſtroſus; num vero in hac parui momenti re ſolis muliercularum narrationibus ſubniti poſſimus, admodum dubitat. Vt magis de veritate conſtet poſtulat, vt medicus ab omnibus praeconceptis opinionibus liber eodem adſit tempore, quo matris grauidae animus a re

quadam afficitur, vt etiam partui foetus interſit, ipſeque eius corpuſculum ſedulo accurateue examinet; quodſi tunc in hoc infante deformitates reperiuntur ſimilitudinem cum obiecto afficiente habentes, tunc poſſibilitatem horum phaenomenorum ſeſe conceſſurum eſſe profitetur. Iteratas vero requirit obſeruationes, vt naturae conſtantia pateſiat, quia permultae iſtarum ſimilitudinum a ſolo caſu proficiſci poſſunt. Deinde ſimilitudines veras nec fictas eſſe debere, nec a praeconceptis opinionibus, et laeſa imaginatione profectas, quippe qua amans videt ranam, ranam putat eſſe Dianam. Tandem recenſiones repetitae ſunt Ratiſbonenſibus relationibus litterariis inſertae, in quibus quaedam deſiderantur, illae nimirum, quarum ſchedae non amplius inueniebantur in ſcriniis auctoris.

p. 162.

XX.

Manuel des Goutteux et des Rhumatiſtes, ou l'art de ſe traiter ſoi même de la goutte, du rhumatiſme et de leur complication avec la maniere, de ſ'en préſerver, de ſ'en guérir, et d'en éviter la récidive par M. GACHET, Maitre en chirurgie, auteur de l'Elixir antigoutteux, nouvelle edition, revue, corrigée et augmentée à Paris chez M. Gachet fils, 1788. 12.

h. e.

Enchiridium in vſum arthriticorum et rheumaticorum, ſiue ars curandi arthritidem et rheumatiſmos abſque medico etc.

Prima

Prima huius libri editio anno 1785 prodierat, atque faciem huius frequentiſſimi morbi quidem depictam ibi inuenimus, et formidables acceſſiones, inſignes cruciatus, ac pericula maxima, quibus expoſiti eſſe ſolent aegri, quoque deſcribuntur. Vehementia huius mali, quae omnes peruagatur regiones, omnibus anni temporibus furit, omnes paene aetates aggreditur, vtrique ſexui moleſta eſt, neque temperato cuidam parcit, prae reliquis morbis curam ac ſedulitatem medici videtur exigere, qua obſeruationibus ſaepius repetitis id potiſſimum procurare ſtudeat, quo remedia inueniat, quibus huiuſce furioſi ſaeuientiſque morbi impetus atrociſſimos compeſcere queat. Multa quidem ſpecifica remedia hucuſque a ſapientiae profeſſoribus inuenta laudataque ſunt, ſed his omnibus palmam eſſe praerepturam facile Cl. GACHET elixirium antiarthriticum, multis verborum ambagibus ac lenociniis perſuadere ſuis lectoribus ſtuduit. Collegium itaque medicorum Nanceianorum praeprimis in iſtud remedium tot hominum millibus ſalutare ſcilicet accuratius inquirendum eſſe cenſuit, atque reuera vidit illud ipſum accenſendum eſſe iis, quae et charlataneriam atque empiriſmum tantummodo ſapiunt, et verba tantummodo eſſe praetereaque nihil. Iuuat hic modum procedendi Celeberrimi collegii medicorum Nanceianorum paucis circa hanc inquiſitionem commemorare. Tribunus vrbanus regia auctoritate Nanceii conſtitutus, Praeſes, Conſiliarius vnus e regio collegio medico ac duo pharmacopaei iurati inſtituerunt pharmacopolia vrbana, noſocomia et officinas mercatorum, qui etiam ſimul medicamenta prouti aliis in vrbibus ſolenne eſt, vendunt, ex legibus ſapienter ſcriptis viſitare, et protinus deprehenderunt Elixirium antiarthriticum Gacheti ibi venale proſtare apud priuatum aliquem

quem virum, illud itaque abſque vlla mora interpoſita ſibi vindicarunt idque ad collegium medicorum deferri iuſſerunt, vt a duobus magiſtris pharmaciae iuratis et legitime conſtitutis inquireretur atque examinaretur. Hi duumuiri fide data inſtitutoque rigoroſiore examine pronunciarunt atque argumentis confirmarunt illud celebratiſſimum Elixirium eſſe alteratum oleum eſſentiale Terebinthinae. Conſiliarius collegii ſubinde iudicauit illud remedium admodum periculoſum eſſe, et iurati pharmacopaei profeſſi ſunt in vnaquaque phiola ſeptimam huius olei partem contineri, et caro admodum vendi pretio, ſiquidem vnaquaeque phiola pro aureo Ludouici R. imaginem prae ſe ferente veniat. Obſeruationibus hiſce inſtitutis et propoſitis Ill. Tribunus vrbanus regia auctoritate conſtitutus imperauit, vt illud elixirium non amplius venderetur, omniſque apparatus vi extorqueretur. Ipſum collegium de noxis huius elixirii ita certius redditum eſt, nihil vt ſupra, nihilo tamen ſecius deprehendit, illud in quibuſdam diariis admodum laudari eiuſque virtutes egregias praedicari, vnde ſeſe quam maxime obligatum ſenſit obſtrictumque vtilitatis publicae et curae ſanitatis ergo, vberius ſuam ſententiam de hoc elixirio exponere, atque accuratam decompoſitionem ipſius ante oculos omnium ponere, et ſi fieri poſſit in vniuerſum publicare, illa laudum encomia, quae ipſi tribuuntur, eſſe falſiſſima. Praeſes itaque collegii de nouo iuſſit, vt duae lagenae huius elixirii ad duos ſupra nominatos pharmacopoeos mitterentur, vt denuo illud examini ſubmitterent omniaque ab iis obſeruata ad collegium ipſum referrent. Huius rei cauſa extra ordinem die XIV. Febr. 1788. conſeſſum habuit collegium regium medicorum illuſtre praeſente Tribuno vrbano regia auctoritate conſtituto, et membro honorario.

Commiſ-

Commiſſarii ad examen conſtituti ſtatim rem aggreſſi ſunt, atque analyſin via ſynthetica inſtituerunt atque declararunt, illud elixirium antiarthriticum diſſolutum ope hepatis ſulphuris compoſitum eſſe ex duabus partibus olei eſſentialis terebinthinae, vna parte olei iuniperi, et huic diſſolutioni aliquot guttas olei empyreumatici animalis fuiſſe immiſſas. His rite peractis collegium denuo iudicium ante factum confirmauit de inſigni huius elixirii noxa, illudque penitus proſcripſit; commiſſarii vero aſſeruerunt ſimul, illud vix ſeptem aut octo ſolidis vendendum eſſe, et pretium admodum cariſſimum vnius Ludouicei eſſe impoſitum. Quo facto a ſummo Tribuno vrbano, ſocio honorario collegii, mandatum eſt, vt illud inſtitutum innoteſceret in ephemeridibus, et ad vſus publicos conuerteretur. Detexit autem hancce fraudem generi humano admodum funeſtam Cl. MANDEL, iuratus pharmaciae magiſter, qui ſimul aliis inuentionibus chymicis ſibi maximam laudem peperit et plurimos ſibi deuinxit.

## XXI.

Prècis des Leçons publiques de Chimie et d' hiſtoire naturelle, qui ſe font toutes les années aux Ecoles de médecine de l' Vniverſité de Nancy par M. NICOLAS, Conſeiller, Medecin de Roi, Profeſſeur roial de Chimie, Inſpecteur honoraire des Mines de France, Membré de l' Academie de la dite Ville et de pluſieurs autres, etc. Seconde edition, revue, corrigée et augmentée. Tome ſecond à Nancy chez Haener 1787. in 8. de 124. pages.

h. e.

h. e.

Lectionum publicarum chymicarum et historiae naturalis compendium, quae quotannis in scholis medicis vniuersitatis litrerarum Nanceianae habentur, auctore Cl. NICOLAS etc.

Primo Volumine, cuius nuper fecimus mentionem *) proposita sunt a Cl. Auct. quae ad regnum spectant minerale, ordinis igitur ratio exegit, vt et reliqua regna naturae eodem modo pertractaret, vnde iam regnum vegetabile ac animale combinauit. In regno vegetabili potissimum explicando ante omnia de succis plantarum exprimendis, de extractis faciendis, et de salibus essentialibus extrahendis agit, sequuntur dissertationes vtilissimae de principio adstringente vegetabili, et de via ac ratione colorem nigrum applicandi sericis pannis. Postea inquirit in quamplurima experimenta instituta cum acido sacchari, exponit modos procedendi meliores in oleis comparandis, praeparationem saponum, analysin substantiarum resinosarum et gummosarum; subiunctae sunt lectiones de substantiis vegetabilibus farinosis, de partibus vegetabilium colores suppeditantibus, de diuersis fermentationibus et de destillatione aquarum vitae. Primus articulus regni animalis praecipue tractat de sanguine, de partibus mollibus, de lympha, de substantiis extractis mucosis animalium. In specie vero copiosius agere instituit de pinguedine, medulla, synouia, succositate, phosphoro, vrina, alcali volatili, calculis vesicae, saliua, liquore gastrico, intestinali, pancreatico, humore seminali, bile, lacte, spermate ceti, moscho, castoreo, ouis, viperis, cantharidibus, formicis, kermes, coccionella, melle ac cera. Omnia illa corpora, vniuersasque substan-

tias

*) Vide Comment. Nostr. Vol. XXX. p. 304.

tias diligenter examinauit Noster, vt nihil amplius desiderari queat. In altera lectione egregia methodus analyseos aquarum proponitur mineralium. Finit hanc lectionem dissertatio de aquis mineralibus Decempaganis in Lotharingia, vna cum methodo, quomodo possint commode adaptari et conseruari animalia ad alios transmittenda, cuiuscunque sint generis, quadrupeda, volatilia, reptilia, serpentes, pisces ac insecta. Ista conseruandi animalia methodus ita perfecta est, vt vere viuere videantur animalia, ipsisque immortalitas concessa esse appareat. Simul suppeditauit formulam, qua non tantum insecta intoxantur et profligantur, qui destruunt ac deuorant fruges, sed quae etiam hanc habet virtutem ac facultatem, vt volucres et alia animalia conseruet integra per secula, ne depascantur a vermiculis. Praeterea in hoc volumine Noster exposuit indolem et naturam gummi elastici, eiusque summam conuenientiam cum visco aucupario, subiungit vsum oeconomicum colchici, ex quo quippe confici potest elegans amylum, remedia vero simul suppeditat, quibus haec planta pascuis infesta sit destruenda, porro de modo procedendi verba facit, ex quo obtineri potest color ruber orientalis, tingendis lanis aptus, additque obseruationes practicas, quibus destillatio aquarum sic dictarum vitae melior redditur; et de torrendo cannabi, de phosphoro ossium et de liquore quodam antiepileptico a semetipso inuento. Quae hucusque paucis a nobis commemorata sunt nobis declararunt, omnia haecce inuenta priuatim tribuenda esse Cl. Auct. nosque ipsi propterea esse debere obstrictissimos. Promtuarium eiusmodi indolis vtique cum laetitia et gratiarum actione a doctissimis viris suscipiendum esse censemus. Magis autem nos oblectaturos esse nostrorum lectorum animos speramus, si pau-

ca,

p. 177. ca quaedam ex hocce libro referamus. Elegimus autem primo *morbum ex cannabi* prouenientem. Solet is illos potiſſimum inuadere qui praeparandea cannabi ſuam locant operam, et qui diriſſimo modo eoſdem excruciat, et miſere atque praemature iugulat, ille ſiquidem cuiuſdam phthiſeos ſpeciem formamque prae ſe fert, productam ab acri puluiſculo ſtaminum cannabis, ſi manu tractatur. Perpetuo enim eiuſmodi homines miſerandi ſub atmoſphaera vitam degunt ſpiritumque trahunt eiuſmodi moleculis vegetabilibus extractis et corruptis impraegnata, quae continuo et abſque mora in organis reſpirationi dicatis deponuntur, ibique irritationem quandam efficiunt ſeſe per tuſſim manifeſtantem, ſucceſſiue accedit inflammatio, quae vlceribus ac tuberculis in pulmonum ſubſtantia ſuppeditat anſam. Increſcit febris, corpus ſenſim conficitur et homo demum necatur. Hucuſque de inueniendo remedio, quo dirus ille morbus poſſit propelli fruſtra laborarunt medici, nam ſi certum quendam attigerit gradum, nullam amplius admittit medelam. Quae enim remedia ab initio huic aegritudini opponi poſſunt, eo fere redeunt, vt victus ſit diluens ac demulcens, inprimis lactis vſus et potiones leniter mu-
p. 270. cilaginoſae aliquid proſunt. Iam pauca de *liquore antepileptico* Cl. NICOLAS praeferenda ſint qui ob ſuam prorſus ſingularem virtutem antiſpaſmodicam quam longiſſime praeferendus eſt laudatiſſimo oleo animali Dippelii; protinus ſiquidem in omnibus affectionibus iuuat ſpaſticis, etiam valentiſſimis, et in ipſis inſultibus epilepticis. Compoſitio haec eſt: alcali volatilis liquidi et concreti cum cornu cerui praeparati vnciae ſex, ſaturentur omnia cum ſufficiente quantitate acidi phoſphorici, in ipſo illo liquore infundatur drachma caſtorei et duae drachmae corticis citri recentis, poſt quatuor et viginti

horas

horas, traiiciatur per pannum et coletur, et in lagena probe obturata seruetur ad vsus. Dosis est vnum cochlear cafetanum mane ieiuno stomacho assumendum, et superbibenda lenis infusio Florum tiliae, si morbus desideret, eadem dosis vesperi rursus sumi potest. De *aquis mineralibus Decempaganis* haecce nobis commemoranda sunt: Decempagum, (*Saint Diez*) nobilis vrbs est Lotharingiae, ad Murtam fluuium sita, quindecim milliaria a Nanceio distans, centrum amoenissimi vallis occupans ad pedes montis Vorgesii, hanc prouinciam ab Alsatia separantis. Vallis ille ad duo milliaria sese extendens, dictus est vallis Sancti Decimi. Fluuius abundans, et cuius aqua delicatum praebet potum, totam planitiem serpentino modo percurrit, limpidissima eius aqua irrigat atque foecundat prata adiacentia. Montes, ad quos protenditur vallis, obsiti sunt proceris arboribus, quae arcent intensissima frigora. Semperque viridescens regio amoenissimum oculis repraesentat spectaculum, pruinosa enim tempora vicissitudines hiemis et veris visendas praebent. In vicinia istius nobilissimae vrbis, in regione illius eremi, vbi vallis sese finit, duo aquarum mineralium fontes reperiuntur, qui oriri videntur ex aquis illis montes vicinos humectantibus, qui montes S. Martini nuncupantur. Casu quodam fortuito hi fontes sunt ab hortulano detecti, quippe qui de aqua horto irrigando sollicitus, terram admodum humidam hanc esse vidit, quare ibi foueam fodit et primum detexit fontem. Examinando autem solum superioris partis paruum vidit fontem, cuius aquae vicinas herbas incrustarent et flauo tingerent colore, vnde ibi fodit, atque sic alter fons est detectus. Analysi harum aquarum instituta Cl. NICOLAS reperit; eas sal martiale, natrum, magnesiam et terram calcaream continere, quae duo salia neutra particularia

p. 284.

praebent. Noſter inprimis de omni chymia bene meritus eam non tantum ab omnibus liberauit obſcuritatibus, quibus maiorum noſtrorum premebatur aetate, atque ſuis ſtudiis multum et plurimum conferre annifus eſt, vt non tantum chymia ad artes quaſcunque applicata incrementa illarum procuraret, ſed et ad communes vſus atque vtilitates in vita humana transferreretur.

## XXII.

A Philoſophical and medical Sketſch of the natural Hiſtory of the human body and mind, to which is ſubjoined, an Eſſay on the difficulties of attaining Medical Knowledge, intended for the information and amuſement of thoſe who are or are not, of the medical Profeſſion, publiſhed for the benefit of the general hoſpital at Bath, by IAMES MAKITTRICK ADAIR M. D. Member of the Royal Medical Society, and Fellow of the College of Phyſicians, at Edingburgh. Bath, printed by R. Cruttwell, and ſold by C. Dilly, Poultry, London, and all the Bookſellers in Bath etc. MDCCLXXXVII. 8. 318 pagg.

i. e.

Adumbratio philoſophico-medica hiſtoriae naturalis hominis, corporis animique functiones repraeſentans etc. auctore IACOBO MAKITRIKKIO ADAIR M. D. *)

Nuper

*) Elegantiſſimi huius libri verſionem ditatam vtiliſſimis doctiſſimiſque animaduerſionibus ac copioſo indice

Nuper Cl. A. editis ſuis cautionibus medicis *), quarum iterata editio iam prodiit, et inprimis quoad caput de regimine inſigniter aucta, a quibuſdam excitatus eſt, vt caput iſtud de regimine paulo dilucidius proponeret, cum autem illud non ſatis accurate queat cognoſci atque perſpici, niſi accuratam ſatis corporis humani eiuſdemque functionum nobis comparauerimus notitiam, conſilium de edenda hiſtoria naturali corporis humani iniit, quo aegri adigerentur, perſpecto regimine eiuſque prorſus ſingulari vtilitate cognita, ita ſe gerere, vt eo citius meliuſque ſanitatem labefactatam recuperare poſſent. Varia autem requirebantur, quae huic conſilio non tantummodo reſponderent, ſed et ipſum librum conſcribendum redderent vtiliſſimum. Breuis enim, ob vim maximam animi in corpus, hiſtoria intellectus humani erat praemittenda, quae magis phyſiologiam quam metaphyſicam ſaperet. Commercii vero animi ac corporis vera ratio dum demum eo magis innoteſcit, ſi ſimul mutationes ab aegritudinibus factae perpenduntur, et ad illuſtrationem variorum phaenomenorum adhibentur. Conſultius itaque viſum eſt Cl. A. breuem addere deſcriptionem aegritudinum, atque de victus ratione in conſeruanda valetudine agere. Sed videamus qua ratione ſuo conſilio ſatiſfecerit A. et quanta vtilitas



indice prodire iuſſit Cl. D. C. F. MICHAELIS ſub titulo: IACOB MAKITRIKK ADAIRS *philoſophiſcher mediciniſcher Abris der Naturgeſchichte des Menſchen, aus dem Engliſchen überſetzt: Zittau und Leipzig Bey Ioh. Dauid Schöps*, 1788. 8. 366. *pagg.*

*) Medical Cautions for the conſideration of Invalids etc. 1787. Earumdem iamiam verſio Teutonica ab eodem Cl. MICHAELIS adaptatur, quam auide exſpectamus.

p. 1. litas ex hoc opere ſit ſperanda. Ordiemur igitur a *Libro I. de ſtructura corporis humani, et indole functionum eiuſdem* C. 1. *Conuenientiam corporis humani cum animalium reliquorum corporibus aeque ac differentiam* proponit, examinando varias ſententias doctorum virorum, SVVIFTII exiſtimantis homines parum ratione animi et corporis a ſimia aliiſque animantibus differre, neque recte ſe habere ſententiam, parum nos ab angelis diſtare, et HOLWELLII ſtatuentis corpora noſtra a malis obſideri geniis, et ſexus ſequioris corpora ob mitem et leniorem animum, quo pollent, parum participaſſe a ſimilitudine diabolica, Turcarum negantium, animis praeditas eſſe mulieres, et aliorum noſtram naturam neque ſpiritualem neque immortalem eſſe aſſerentium. Propius accedit ad hiſtoriam naturalem corporis humani, quae haurienda eſt ex anatomia et phyſiologia, et de partibus ſolidis ita agit, vt appareat qua ratione inde morbi proueniant. Pergit ad ſanguinem, principiaque ex quibus ſolida et ſanguis ſunt compoſita, et ad morboſam ſanguinis affectionem. C. 2. *de motibus vitalibus eſſentialibus*, quae ſit earum cauſa praediſponens et occaſionalis, quid ſenſibilitas et ſtimu-

p. 12. lus, actio et reactio. *Liber* II. *De functionibus animalibus* c. 1. *de functionibus animalibus corporis humani ac earumdem qualitatibus*, ab ipſis vita, ſenſus et motus pendent, et organa huic negotio dicata ſunt cerebrum et medulla ſpinalis vna cum neruis, quorum morboſa irritatio, ſympathiaque deſcribitur. Porro de motu muſculorum voluntario et inuolun-

p. 54. tario, de ſenſibus externis atque ſomno. C. 2. *hiſtoriam animi humani et internorum ſenſuum* continet. Ex ordine omnes ſenſus interni recenſentur et quibus cauſis excitari, debilitari ac penitus perdi poſſint, declaratur, hinc morbi mentis examini vlteriori ſubiiciuntur, quoad ſcilicet veritatem et errores,

res, hinc progreditur ad delirium, maniam, melancholiam, hypochondriasin, idiotismum, voluptatem et dolorem, appetitum, animi pathemata et morbosas eorumdem affectiones, potissimum ab imaginatione laesa prouenientes. *Liber* III. *De vitalibus organis et functionibus* C. 1. *De corde*, eius structura, venis, arteriis, sanguinis periodo, eius effectibus, qui sunt, virium vitalium, motusque omnis conseruatio, inspirationis et exspirationis mechanismus, functionum cerebri et neruorum legitima actio, secretionum ac excretionum ordo, et nutritio corporis. Irritatio omnis in cor ab sanguinis massa, circuitu ac calore deducenda est C. 2. *de Respiratione*. Organa respirationis. Inspiratio, exspiratio, eius vtilitas, aeris indoles. Putridi aeris noxa. Vitia virium vitalium, earumque causae in motu vario sanguinis quaerendae, hinc febrium, inflammationum, haemopthysis et articulationum vitia. *Liber* IV. *De functionibus naturalibus*, vbi expenduntur c. 1. *earum varietas*, organa masticationis, deglutitio, ventriculus, concoctio, experimenta circa concoctionem animalium, causae concoctionis, appetitus praeternaturalis, fames, ieiunia admiranda, sitis, effectus lethales sitis, mutationes ingestorum in canali intestinorum, eorumque in chylum mutatio. C. 2. *De secretione ac excretione*, vbi de natura humorum secretorum, de organis glandulosis, earumque structura, de hepate et vesica fellea, de bile, pancreate et glandulis salivalibus, de saliua, mesenterio, vasis lacteis, chylo, splene, renibus, omento, lacte ac eius natura et glandulis, de glandulis lymphaticis, mucosis, de absorptione, nutritione, systemate absorbente eiusque egregio vsu, de excretione et organis excretoriis, perspiratione cutanea, sudore, vna cum obseruationibus in vniuersum ad secretionem et excretionem spectantibus, simulac de

p. 97. p. 116. p. 155. p. 171.


corporis

p. 215. corporis qualitatibus. C. 3. *Communes animaduerfiones fuper corpus humanum.* Embryonum omnium animalium vera ratio, et fucceffiua formatio, embryonis hominum differentia a ceteris animantibus. Varia humanae vitae ftadia, dentitio. Verus incrementi humani corporis terminus incidit in annum 15. Longaeuitas hominum antediluuianorum et poftdiluuianorum. Gigantes et Pygmaei. Proportio intercedens in mortibus diuerfis vitae humanae temporibus contingentibus. Proportio mortuorum vtriufque fexus. Indices Defunctorum. Differentia temperamentorum et eorum indicia. Methodus Suttonia infitionis variolarum improbatur,

p. 239 Dimfdalia contra commendatur. *Tentamen fecundum de difficultatibus cum ftudio medico et inprimis medicinae practicae coniunctis.* Illae cernuntur c. 1. *in difciplinarum propaedeuticarum ambitu*, qui ex auct. fententia exactam Graecae latinaeque linguae, fed et recentiorum linguarum notitiam, geometriam, logicam, phyficam ac cofmologiam et hiftoriam naturalem requirit, fed latius ille campus patet, et aeque neceffaria eft linguae Arabicae ob materiam praeprimis medicam ac artem obftetriciam notitia, quae hodie a quam plurimis negligitur: porro vniuerfae mathefeos praeprimis dynamices, mechanicae, optices praecepta, neque excludenda eft metaphyfica, thelemathologia, pfychologia atque morum doctrina, fimulatque hiftoria medica et litteraria. Praeparatus tunc legitime medicus accedit ad anatomiam, phyfiologiam, pathologiam, therapiam, materiam medicam, diaeteticam, chemiam, pharmaciam, pofologiam, chirurgiam, ac quae non omittenda fuiffet, ad artem obftetriciam et veterinariam ac medicinam forenfem. Deinde de requifitis boni medici quaedam egregie monentur, et officia cum arte arctiffime iuncta inculcantur. Adiectum eft

iudicium

iudicium de arcano quodam Bathensi spiritu aethereo appellato, cui maiores quam liquori minerali anodyno Hoff. vires tribuuntur, illudque argumentis tanquam ventosum medicamentum proponitur. C. 2. *difficultates ex morborum copia prouenientes.* p. 257.
Vulgaris error de morbis nomine diuersis, re autem vere conspirantibus refellitur, et sciagraphia morborum classium ex ordine SAVVAGESII suppeditatur, quorum quippe numerus ad duo adscendit millia. Diuersitas autem morborum vberius ex prolatis exemplis euidentissime exponitur, et copia caussarum simul expenditur. Difficultates ob partium sympathiam eiusque influxus in morbos negotium facessit medico, qui hoc in casu philosophus ac ἰσοθεὸς esse debet. C. 3. *De difficultatibus circa morbos eorumque differentiam a symptomatibus.* p. 271.
Symptomata multo pauciora sunt, quam morbi ipsi, et sensationibus aegrorum insunt. Versantur illae symptomatum difficultates in eo, si ipsa morbi notitia est imperfecta, si symptomata multis morbis sunt communia, si effectus pro causa assumitur, si ipse effectus sympathiae non probe distinguitur et pro symptomate venditatur, si aegri ipsi neque nos de sensationibus certiores reddere possunt, aut ob morositatem aliasque causas id recusant, si quibusdam de causis morbos celant. Adiicienda hic quaedam fuissent de imaginariis ac fictis morbis istorumque symptomatibus, ac difficultatibus veram eruendi rerum faciem. C. 4. *De difficultatibus prognoseos.* p. 277.
Illae admodum copiosae sunt ac plus quam cimmeriis interdum tectae tenebris, praeprimis in morbis complicatis, laruatis, et exactissimam omnium doctrinarum medicarum notitiam, vsum ac experientiam praesupponunt, nisi nos fallere ac turpiter dare velimus. C. 5. *De difficultatibus in ipsis morbis persanandis.* p. 282.
Quamquam prognosis parum prodesse videatur,

deatur, hoc ſaltem exinde emolumentum in nos redundat, vt nos manu quaſi ducat in ipſa curatione. Inprimis indicatio rite eſt facienda, quae docet medicum quid ipſi faciendum, et quomodo adgrediendus ſit morbus, atque hac ratione genuinus medicus ab agyrta et empirico optime diſtinguitur. Sed contraindicantia et coindicantia nullo ſunt negligenda modo. His rite perſpectis ac penſitatis iam ad apparatum medicamentorum medico accedendum et aptiſſima praeſidia ſeligenda, atque ex ordine quodam adhibenda, et totum regimen ita dirigendum, vti morbi indoles ac natura requirit. Cauendum tamen eſt medico, ne vitia committat, et ſi e minus recta praeparatione medicamentorum, ex infida relatione ipſius hiſtoriae morbi, ex moroſitate ac ſcrupuloſitate aegrorum quaedam ſubnata ſint, vt de iis corrigendis tempeſtiue cogitet, et ſic ad emendationem artis medicae ſuam quoque conferat ſymbolam. Quatenus et ſub quibus circumſtantiis natura morbos ſanare dicatur, demum inquiritur, et obiectiones aduerſus artem ſalutarem refutantur, ſimulque de empiriſmo prohibendo profligandoque, et quibus remediis id debeat fieri, diſſeritur. Commode itaque hicce liber phyſiologiae pathologicae nomine ſalutari atque probe medicum inſtruere poterit.

## XXIII.

Obſervations ſur la phyſique, ſur l'hiſtoire naturelle, et ſur les arts, avec des planches en taille douce; dediées à Mgr le Comte d'Artois, par M. l'abbé ROZIER, de pluſieurs Academies, par M. I. A. MONGEZ le ieune, Chanoine régulier de Sainte Geneviéve, des Academies royales des ſciences de Rouen, de Dijon, de Lyon etc. par M. *de la* METHE-

RIE

RIE, Docteur en médecine, de plusieurs Academies, à Paris 1788. in 4.

h. e.

Obseruationes ad physicam, historiam naturalem, et artes spectantes, auctoribus Cll. ROZIER, MONGEZ, et *de la* METHERIE etc.

Opus istud periodicum, in Franeogallia sub nomine Diarii physici (*Journal de Physique*) notissimum, per multos iam annos magnam sibi comparauit famam auctoritatemque, et cura ipsius ante perplurimos annos Cl. METHERIE, cuius merita in rem litterariam maxima iustis encomiis sunt celebranda, commissa illud instructissimum reddidit atque vtilissimum, siquidem dissertatio quaedam praeliminaris in vnoquoque anno ipsi praemittitur, qua de nouis inuentis in re naturali praecedentis anni tractatur. Comparent itaque in hoc volumine inuenta superioris anni admodum fertilis a mense Ianuario vsque ad finem, quorum summam iam exhibemus. Ad *astronomiam* itaque quod attinet Cl. HERSCHEL d. 21. Aprilis admodum distincte detexit in Luna tres vulcanos, qui confirmare videntur hypothesin de analogiis inter hoc astrum cum terra nostra quoad atmosphaeram intercedentibus. Similiter duos satellites circa hunc planetam a celeberrimo hoc Astronomo sunt conspecti. Cl. Abbas ROCHON telescopium suum ad finem perduxit, cuius specula e platina constructa magnos producit effectus. Cl. MACHAIN d. 11. Aprilis cometam vidit, eiusque orbitam talem esse determinauit, qualis fuit cometae Anno 74. apparentis. Cl. BERNARE fecit obseruationes in obseruatorio Massiliensi, hoc ipso anno satellites Saturni conspexit, qui alias admodum difficulter obseruantur, de quibus ab annis septuaginta

nihil certi perfectique potuit dici. In Magna Britannia nouae Tabulae lunares prodiere, quae magna accuratione sunt instructae. In *Zoologia* haec notari merentur: Cl. VICQ D'AZYR ditauit suis studiis anatomiam. Cl. PINEL vires motrices animalium egregie illustrauit, applicataque mechanica et calculo istam theoriam quam maxime perfecit. Cl. CRVISHANK vasorum lymphaticorum naturam declarauit, eorumque notitiam meliorem perfectioremque esse iussit. Cl. PENNANT in sua Zoologia arctica, quae in Magna Britannia prodiit nuper, quam plurima animalia, quae in regionibus incognitis Americae septentrionalis reperiuntur, belle descripsit. Regeneratio partium animalium hucusque quamplurimorum sapientiae professorum ingenia ac studia exercuit. Cl. MVRRAY celeberrimi Professoris Botanices filius dignissimus, Cl. ARNEMANN et KVHN vtilissimas super hoc argumento Gottingae ediderunt commentationes. Cl. LETHAM. studiose ac feruide ornithologiam tractat, atque vltima sui operis volumina edere constituit propediem. Cl. MERREM Gottingae in fasciculis descriptiones et figuras auium prodire iubet, atque sibi proposuit omnium auium descriptiones ad eundem edere modum. Cl. SPARMANN duas partes de auibus conscripsit, in quibus multae accurate descriptae reperiuntur, quae non satis hucusque erant cognitae. Cl. HERMANN Professor historiae naturalis Argentinus doctissimus, primam sectionem de amphibiis publici fecit iuris, desiderio reliquarum tenemur sectionum, cum hicce doctissimus vir de hac re egregie commentatus sit. Cl. BLOCH historiam piscium continuare pergit. Opus eximium de papilionibus Europae pari cura atque studio, Cl. GIGOT D'ORCY et GARENGEOT adaptarunt, atque haec collectio ditabitur admodum copiosissimis Europae papilionibus. Cl. Abbas POI-

RET,

RET, *de la* MARTINIERE, et BRVIERE in Diario physico quasdam insectorum parum cognitorum descripserunt species. Cl. FABRICIVS duo volumina de insectis edidit, in quibus non tantum omnes illae species continentur, quarum iam in reliquis suis mentionem fecit scriptis, sed etiam nouas species, quarum ipsi copia fieri potuit, addidit. Cl. CAVOLINI Neapoli eximium libellum edidit de organisatione coralliorum et madreporarum, atque haec animalcula exacte ac belle descripsit. In *Botanica* Cl. HERITIER, Abbas CAVANILLES, Eques *de la* MARK, BVLLIARD, *de la* TOVRETTE, GILIBERT, WILLEMET etc. in Francogallia sua opera circa hoc argumentum studiosissime continuant. Cl. Abbas POVRRET in Occitania offert humanissime Chlorin Occitanam. Cl. *de la* PEYROVSE Academiae Tolosatiensis socius exhibuit Icones Florae Pyrenaicae, cuius plantas in suis natalibus explicauit et ex viuo depingi curauit, atque nimium operosus esse videtur in physiologia vegetabilium declaranda. Cl. BROVSSONET mechanismum hedysari girantis optime exposuit. Cl. DESFONTAINES descripsit phaenomena irritabilitatis. In mineralogia, de spatho, bitumine elastico etc. probe disseruit Cl. *de la* METHERIE. Cl. PICTET lapidem crystallinum detexit, qui nouam constituere speciem videtur. Cl. LELIEVRE naturam chrysolithorum Vulcanorum disquisiuit, iidem videlicet ipsi species serpentini esse videntur, ope ignis subterranei in eandem formam redacti. Cl. DE LARBRE et QVINQVET descripserunt nouum lapidem *Peckstein* dictum. In *physica*. Cl. *de la* PLACE suscepit inquisitionem de motu Iouis, Saturni et Lunae, et de electricitate, inprimis haec pars physices hoc anno multis nouis accessionibus ditata est. Cl. VAN MARVM nobiscum experimenta physica quamplurima ac vtilissima communicauit, aeque ac Cl.

CAROLVS. In *meteorologia* quoque nouae acceſſiones prodierunt. Cl. ANGOS obſeruauit varietatem curioſam in barometrorum actione. Cl. DE LVC nouum hygrometrum deſcripſit. Cl. *de* SAVSSVRE obſeruationes vtiliſſimas ad hanc ſcientiam pertinentes propoſuit de faſtigio montis albi. In *agricultura* prae reliquis ſeſe diſtinguit Curſus completus Cl. ROZIER. In *chymia*. Cl. METHERIE magnam experimentorum copiam commemorauit a ſe pro obtinendis aeris ſpeciebus inſtitutorum. Cl. LASSONE et KIRWAN eodem modo iiſdemque ſtudiis circa eandem rem verſati ſunt. Cl. MORVEAV propoſuit nouam nomenclaturam chymicam. Cl. BERTHOLET, WESTRVMB, HERMBSTAEDT, BRVGNATELLI, GOETHLING, DEYEVX, LAVOISIER, FOVRCROY etiam in hoc anno in chymicis commentationibus conſcribendis ſuam operam collocarunt.

## XXIV.

Hiſtoire de l' Académie royale des ſciences Année MDCCLXXXIII. Avec les mémoires de mathematique et de phyſique pour la même Année, tirés des regiſtres de cette académie à Paris de l' imprimerie royale MDCCLXXXVI. pag. 132. et p. 783. année MDCCLXXXIV. à Paris MDCCLXXXVII. pag. 69. et pag. 658. 4. cum fig.

h.e.

Hiſtoriae academiae regiae ſcientiarum anni 1783 et 1784. cum commentariis mathematicis et phyſicis ad eoſdem annos pertinentibus.

His

His in voluminibus pauca mutata ſunt, loco enim obſeruationum, hiſtoriae olim inſertarum, relationes de iis, quae memoratu ſunt digna, inſerta ſunt, ideoque hic primum locum occupat, *Relatio ad Academiam ſcientiarum* de machina aeroſtatica Cl. MONGOLFIER, facta a Cl. *le* ROY, TILLET, BRISSON, CADET, LAVOISIER, BOSSVT, *de* CONDORCET et DESMAREST. Hanc excipiunt ſtatim *opuſcula Academiae exhibita*, inter quae *commentarii probati ab Academia* recenſentur, quos dignos iudicauit, vt imprimerentur, ſunt autem: Commentarii duo *de cryſtalliſatione* auct. Cl. Abbate HAÜI. Commentarii duo *de effectis luminis in plantas* auct. Cl. Abbate TESSIER. *De Succedanea ſiue vernice Chinenſi*, auct. Cl. DESFONTAINES. *De equiſeto* auct. Cl. DESCEMET. Obſeruationes Cl. PIGOT iunioris *de mercurio*. Cl. CADET *de* VAUX *de puteis mephiticis*, Cl. *le* GENDRE *de attractione ſphaeroidarum*. Cl. GINGEMBRE *de nouo gas obtento ex phoſphoro ope Alcali*. Ill. Com. *de* PRVNELAI *de putrefactione*. Cl. *de* MORVEAU *de proprietatibus hygrometricis ſodae*. Cl. TREMBLEY *de ſeriebus recurrentibus*. Cl. *de* LAGVE *obſeruationes aſtronomicae*. Cl. Abbatis DVPONT *de* IVMEAV obſeruationes factae Burdigalae, *de fluxu et refluxu maris*. Duorum iuniorum botanices amicorum commentationes de oenothera bienni. Cl. Abbatis MONGEZ *de cygni cantu*. Cl. TREMBLEY *de probabilitatibus*. Cl. *de* LAGVE *obſeruationes de totali eclipſi Lunae*, inſtitutae Deppae. Cl. BARTHEZ *de nauigatione in ſinu Lugdunenſi*. Cl. TREMBLEY *de ſubſidiis menſurandi altitudines atmoſphaerae*,

Hiſt. p. 5. p. 24. p. 28.

Inter *elogia* membrorum Academiae huic anno inſerta primum eſt Cl. GVIL HVNTERI, huius celeberrimi artis obſtetriciae medici, d. 23. Maii 1718 Kitbridae in comitatu Lanerkenſi nati. Patre vſus p. 29.

eſt

eſt IOHANNE, et in Seminarium Glaſcouicenſe anno aetatis quarto et decimo miſſus, vbi per quinque annos bene meruit. Dicatus quidem erat ſtudio Theologico, ſed animus alia ſuaſit, igitur ſuaſu CVLLENII a patre obtinuit, vt ſe medicae arti conſecraret, et hanc ob cauſam hoſpitio trium annorum Cl. CVLLENII exceptus ab eoque omni fide inſtitutus eſt. Anno 1741. Londinum adiit, et 1745. praeſentauit ſocietati regiae Londinenſi diſſertationem ſuam de ſtructura cartilaginum oſſa terminantium, tribus annis poſt a ſocietate chirurgica nautica electus eſt vt curſum anatomicum faceret. Eius ſcripta autem tunc edita continentur in prioribus ſocietatis medicae Londinenſis voluminibus, quae ſunt, obſeruatio de peculiari quodam aneuryſmate, de arteria ſibi communicationem parante cum vena, deſcriptio noua ſtructurae contextus celluloſi, in quo reticularem ac glanduloſam ſubſtantiam agnouit. Applicuit ſeſe arti obſtetriciae atque admodum gratus acceptuſque fuit foemellis, adeo vt et SMELLIE ipſi aduerſaretur. In hoc nouo vitae ſtadio ſcripſit de vtero grauido atque inprimis membranam detexit deciduam, atque retrouerſionem vteri accurate deſcripſit, porro de incertitudine ſignorum mortis violentae in neonatis, de ſectione oſſium ſymphyſeos pubis. Multa inuenta anatomia ipſi debet. Menſe Martio 1783. cum vellet operationem chirurgicam facere, correptus arthritide vaga eſt et 30 eiuſdem tranquille exſpirauit dicendo ad amicum Cl. COMBE, ſi ego poſſem manu calamum ſcriptorium tenere, vellem litteris conſignare quam facile et quam dulce ſit mori. Muſeum Hunterianum praeſtantia ſua ſeſe commendat.

p. 37. Cl. LEON. EVLER, Director claſſis Mathematicae Academiae Petropolitanae, natus eſt Baſileae 15 April 1707. patre PAVLO, Paſtore, a quo primum inſtitu-

institutus est, in mathesi praeceptorem habuit IAC. BERNOVLLI, ex consilio patris magistri honoribus insignitus est, vt ei in ministerio succederet, sed anno aetatis decimo nono scripto de malis nauigiorum anno 1727 ab Academia scientiarum praemio ornatus est secundario, et eodem tempore quoque docendi munus Basileae capessere voluit, sed duobus annis post Cl. NIC. et DAN. BERNOVLLI in Russiam vocati sunt, a quibus impetrauit, vt suis studiis eumdem ipsi procurarent honorem, quo facto Professor factus et 1733. in locum DAN. BERNOVLLI surrogatus est. Berolinum se contulit ibique ab anno 1741. vsque ad 1766. commoratus multisque honoribus affectus auctusque est. Anno 1766 redux Petropolin factus. Excelluit in omnibus matheseos partibus atque in litteratura antiqua, multosque egregios reliquit discipulos. Exstinctus d. 7. Septembris 1783. cum calculum subduceret legum motus machinarum aerostaticarum.

Cl. BEZOVT, Academiae scientiarum et rei maritimae socius, natus Nemosii d. 31. Mart. 1730. patre PETRO. Casu fortuito libri quidam geometrici et Elogia FONTENELLII amorem huius scientiae penes illum incenderunt. 1738. Academiae socius factus. 1763 Examinatoris titulo penes copias maritimas insignitus. Febre maligna correptus d. 27 septembr. 1783. occubuit. p. 69.

Cl. IOH. LE ROND D'ALEMBERT, Academiae Francogallicae a secretis perpetuo, natus Parisiis 17 Noubr. 1717. et a parentibus ad ecclesiam St. Ioh. le-Rond expositus, atque sublatus deportatusque ad commissarium quendam, qui tactus misericordia eum cuidam artifici educandum tradidit. Studia in collegio quatuor nationum tractauit, relicto collegio Geometriae potissimum se dicauit ac ex beneficiis aliorum vixit. Anno 1741. ad scientiarum Academiam p. 76.

cademiam accessit, atque inuentis, ac scriptis mathematicis, historicisque inclaruit 1772 Secretarius eiusdem factus est. Obiit d. 29 Octobr. 1783.

p. 122. Cl. LVD. ELISABETH *de la* VERGNE, *Comes de* TRESSAN, Locumtenens generalis exercituum regis, natus 4 Noubr. 1705 Cenomani patre FRANCISCO *de la* VERGNE. Educatus penes Episcopum Cenomanensem. Inclaruit ob merita bellica, 1750 socius liber Academiae factus est, et plurimi articuli in Encyclopaedia eum agnoscunt auctorem. Opera sua Academiae Nanceianae plurimum profuit. Vltimum opus editum, est Elogium FONTENELLII. Accessiones podagricae saepius repetitae eius vires ita fregerunt, vt d. 31 Octbr. 1783. exspiraret.

p. 128. Cl. PETR. WARGENTIN, Eques stellae polaris, natus 22 Septb. 1717. patre GVILIELMO, Pastore parochiae Iunnensis in Suecia. Ob astronomiam praeprimis clarus, 1749 Academia Holmiensis eum sibi elegit a secretis. 1759 Obseruatorio Holmiensi exstructo, director eiusdem constitutus est. Obiit d. 13 Decbr. 1783. et in eius memoriam numisma ab Academia Suecica cusum est.

Comm.

p. 1. 1. Inter commentarios huius anni primus est Cl. LE GENTIL *super obliquitatem eclipticae, et eius diminutione.*

p. 12. 2. EIVSDEM *obseruationes de altitudinibus solstitialibus solis.*

p. 13. 3. EIVSDEM *de altitudine solstitiali solis.*

p. 17. 4. Cl. DE LA PLACE *commentarius de figura terrae.*

p. 47. 5. Cl. LE MONNIER, *obseruationes factae* 1782. *in solstitio aestiuo.*

p. 49. 6. *Commentarius de vsu horologiorum marinorum,* auctore *Marchisio* DE CHABERT.

p. 67. 7. Cl. SABATIER *super quasdam proprietates medullae spinalis eiusdemque inuolucrorum.* Noster primo

mo deſcribit medullam ſpinalem, eamque tantum a medulla oblongata quoad dimenſionem ac locum, quem occupat, differre ait. Fibras autem medullae ſpinalis, quae ex HALLERI ſententia habent directionem tranſuerſalem, neque ſe decuſſare neque exiſtere ſtatuit, eaſdemque nihil aliud eſſe quam fiſſuras a tenſione vaſorum medullam penetrantium obortas. Vaſa ſiquidem illa firmata ſunt in prolongatione piae matris et diſpoſita parallelo modo in directione perpendiculari, intrantque ſubſtantiam partium, quas perreptant. Subſtantia firma eſſe videtur, ſed extreme mollis eſt, ſi enim pia mater inciditur, quae ei pro inuolucro eſt, ſtatim ſub forma cremoris illa exit, et diſtingui poteſt pars alba et medullaris externe, et pars cinereo-nigra interne. Locus quem occupat, et forma quam aſſumit, difficulter definiri poteſt, quamplurimi ipſi crucis formam aſſignant, ſed noſter eidem conuenientiam ſummam cum H. maiuſculo tribuit. In parte anteriore et poſteriore medullae ſpinalis vidit cauitatem, cuius parietes ſibi ſunt propinqui et facillime inter ſe cohaerent, ad modum capſularum atrabiliarium. Medulla autem ſpinalis ab integumento ſeparata formare videtur duo larga ligamenta in anteriori et poſteriori parte, eorum ſubſtantia in latere, quo ſe tangunt, alba, in latere oppoſito, cinerea eſt. Nerui a medulla ſpinali producti, exceptis acceſſoriis WILLISII oriuntur e duobus faſciculis fibrarum anteriorum et poſteriorum, ſeparati per ligamenta dentata. Faſciculi ipſi ex filamentis ſunt compoſiti. Filamenta iſta et faſciculi formant ſeſe vniendo truncum neruoſum, producentem ganglion, cuius magnitudo cum neruo, ad quem pertinet, quoad proportionem conuenit. Vbi autem filamenta ſeſe coniungunt duas chordas conſtituunt, quae ſunt continuationes faſciculi anterioris ac poſterioris.

 Hae

Hae chordae non tantum quoad deſtinationem differunt, ſed etiam diuerſas modificationes ſubeunt in ganglio ab ipſis formato. Interualla ſeparantia iſtas quaſi gelatinoſa ſubſtantia firmioris conſiſtentiae, coloris griſeo-rubro-atri repleta ſunt. Naturam et organiſationem huius ſubſtantiae accurate definire non ſuſtinet, attamen de praeſentia multorum vaſorum ſanguiferorum teſtatur atque filamenta neruoſa, quae tranſuerſe permeant, humectare
p. 73. videtur. A ſupra dictis neruis differunt nerui acceſſorii Williſii, exorientes in medulla ſpinali inter faciem poſteriorem ligamentorum dentatorum, et inter faſciculos qui concurrunt anterius ad formandos neruos vertebrales. Pia mater autem magis extenſa, quam vt poſſit continere medullam ſpinalem, in partibus lateralibus plicam efficit longitudinaliter in vtroque latere deſcendentem, et ſe paulo inferius ad ſaccum arachnoideum et duram matrem per filamenta breuia et tenuia adnectentem. Illae plicae alio nomine dicuntur ligamenta dentata. Saccus arachnoideus admodum laxus eſt, et filamenta eum cum pia matre coniungentia valde copioſa ſunt. Forma autem et peripheria prolongatae durae matris, quae procedunt cum medulla ſpinali, fere conueniunt cum arachnoidea. Dura vero mater quoque longitudinaliter procedit ad medullam ſpinalem cum integumentis, atque ibidem etiam quoſdam format ſinus. Vtilitas autem illorum hucuſque minus cognita eſt.

p. 78. 8. Cl. MONGE commentarius *de effectu inflammationis gas inflammabilis et aeris dephlogiſticati in vaſis clauſis.* VOLTAE experimenta cum aere inflammabili et gas inflammabili ope ſcintillae electricae inſtituta repetiit, aliaque ſimul fecit Noſter, quo ſeſe certiorem de effectu redderet. Nimis longum foret hic illa commemorare experimenta. Sufficit

eum

eum factis experimentis calculum ſubduxiſſe, examen cum aere ex machina extracto inſtituiſſe, atque ſimul cum liquore producto. Colligit autem ex his omnibus, requiri tantum ad inflammationem mixturae gas inflammabilis et gas dephlogiſticati ſimplicem temperaturae eleuationem, et hancce temperaturam vnice pendere a natura gas inflammabilis, a doſi gas dephlogiſticati, et a denſitate iſtorum binorum fluidorum. p. 88.

9. Cl. DE LA LANDE Commentarius *de eclipſi Lunae d. 18. Martii 1783.* p. 89.

10. EIVSDEM Commentarius *de inclinationis permutatione, quae locum habere debet in planetarum orbitis.* p. 93.

11. Cl. LE MONNIER *ſumma obſeruationum, quae determinant geographicum ſitum atque effluxum fluuii vrbis St. Dominici.* p. 97.

12. Cl. FOUGEROUX DE BONDAROY *obſeruationes ſuper ſecale cornutum.* Hunc morbum Cl. TILLET tribuit pruinae, Cl. autem TESSIER terrae glutinoſae et margoſae, quae per aliquot tempus ager noualis fuit, et denuo culta eſt. RAIVS, TISSOT et GLEDITSCH inſectis, qui pungendo ſpicas, talem morbum procreant. Potius Noſter exiſtimat a ſtercoratione agrorum cum fimo columbarum hunc morbum produci, quippe qui hoc vitium in ſucco plantarum et fructificatione gignat. Nos vero experientia edocti hunc morbum tribuimus acromeli, atque id olim vberius expoſuimus in obſeruationibus TISSOTI libello de raphania adiectis. p. 101.

13. Cl. MESSIER *obſeruationes de duabus eclipſibus totalibus Lunae a.* 1783. p. 104.

14. EIVSDEM commentarius *obſeruationes ſuper cometam a.* 1783. continens. p. 123.

15. Cl. *Abbatis* TESSIER *Experimenta propria explicandorum effectuum lucis in quaſdam plantas cauſa* p. 133.

*ſa inſtituta.* Cl. A. cum aliis doctis naturae ſcrutatoribus duplicem niſum in plantis admittit, alterum quo ſeſe verſus lucem inclinant, et hunc vocat *nutationem*, alterum, qui pertinet ad plantas obſcuris in locis creſcentes, dictum *obſcurationem*, cuius cauſam RAIVS detexit, et quem BONNET, DV HAMEL, ac MEESE propriis illuſtrarunt experimentis, vlterius autem progreſſus noſter atque calculando quaſi niſum plantarum verſus lucem explicauit, probauitque ad quale punctum lux diuerſimode modificata influere poſſit in obſcurationem quorundam vegetabilium. Abſoluit autem duobus articulis totum opus, in priore de niſu plantarum verſus lucem agit, atque inquirit, num niſus verſus lucem locum habeat ita in ſuperficie terrae, vti in cauea, in pellucidis hypocauſtis ſicut in viridariis parum lucis habentibus; num inclinatio plantarum nullo modo variet, ob modum, quo ſunt productae et educatae, et ob epocham vegetationis ſuae, num diuerſae modificationes lucis in iis nullam mutationem efficiant, et tandem num inclinatio verſus lucem quoſdam gradus quoad diuerſas poſitiones plantarum admittat. Duodecim experimentis probare ſtuduit inclinationem plantarum fieri verſus lucem, non verſus aerem ac calorem. Poſterius cauſam reddit cur plantae in ſubterraneis caueis, et qui caſu quodam fortuito tectae ſunt, loco viridis coloris album aut flauum exhibeant, principem huius phaenomeni cauſam in priuatione lucis quaerendam eſſe ſtatuit, atque experimentis euicit lucem admiſſam per foramen caueae viridiſſimum, lucem per refractionem radiorum ope ſpeculi viridiorem, illas plantas in obſcuro loco nulla luce admiſſa fuiſſe flauo - albas, et eas lucem a lampade capientes ſe virido - atras fuiſſe.

p. 145 (margin, beside "ſus aerem ac calorem")

16. *Re-*

16. *Relatio facta ad Academiam per Cl.* LEROY, TILLET, et DESMAREST *concernens edictum supremi Senatus regni Galliae ad Academiam d. 6. sept.* 1783 *transmissum*, pertinet potissimum ad Taxam panis in Rupe forti aequandam pretio frumenti et farinae. p. 157.

17. Cl. DIONIS DU SEJOUR *nouarum methodorum analyticarum resoluendis diuersis quaestionibus astronomicis dicatarum* commentarius octauus et decimus. p. 263.

18. Cl. *Abbatis* DE GUA Trigonometria sphaerica. p. 291.

19. EIVSDEM *diuersae mensurae, quoad maximam partem nouae, planorum sphaericorum et angulorum solidorum.* p. 344.

20. EIVSDEM *propositiones nouae aeque vtiles ac curiosae super Tetraedra; siue tentamen tetraedrometriae.* p. 363.

21. Cl. BERTHOLET, *commentarius de differentia aceti vini radicalis et acidi acetosi.* Chymici et inprimis Cl. LASSONE obseruarunt acetum vini radicale quoad actionem multo maiorem differre ab aceto vini concentratissimo, et Cl. VANDERMONDE grauitatem specificam aceti vini destillati admodum concentrati componendo cum aqua destillata ait esse vt 1,0178 ad 1,0000. et aceti vini radicalis, vt 1,0404. Noster autem aceto radicali per aquam destillatam eandem grauitatem, quae est propria aceto destillato comparauit, et nihilominus sapore et odore admodum pungente a destillato aceto vini distingui potuit. Cum alcali volatili ex LASSONE obseruatione acetum vini radicale crystallos formauit, et eandem obseruationem cum alcali fixo vegetabili noster fecit. Sal acetosum grauitate trium drachmarum minus octodecim granorum, et sal radicale trium drachmarum fuit, prius syrupum violarum viridem tinxit, a posteriore non alteratus est; p. 403.

acidum radicale infuſum in ſal aceti diſſolutione facta depoſitionem quamdam brunneam exhibuit. Terrae foliatae tartari vnciae duae cum acidi radicalis vncia 1. et aquae vnc. 1. ſimul leni calore deſtillatae in vaſe recipiente ad vnam vnciam redactae et demum ſaturatae ſunt cum alcali, et liquor ille ſaturatus poſt euaporationem, veram exhibuit terram foliatam tartari, et ex his deducit differentias. Calx cupri ſoluta in acidis vegetabilibus offert aes viride compoſitum ex tribus partibus quartis ſalis cupri acetoſi et vna quarta calcis cupri. Soluta illa in aceto vini deſtillato exhibet viride aeris deſtillatum, quod ope aquae cryſtalliſatum offert ſal acetoſum. Sal autem cupri viride aeris conſtituens, eſt combinatio calcis cupri et acidi acetoſi.

p. 408. 22. EIVSDEM commentarius *ſuper praeparatione alcali cauſtici, eius cryſtalliſatione et actione in ſpiritum vini.* Solutionem alcali cauſtici per ſpiritum vini pro imperfecta venditat atque exiſtimat alia adhuc adeſſe principia, in quae agere queat alcali. Videlicet lixiuium cauſticum cum ſale tartari et calce in vaſe ferreo praeparauit, quo filtrato euaporatoque ad conſiſtentiam, miſcuit id cum ſpiritu vini, eandemque mixturam deſtillauit, qua refrigerata in fundo inuenit cryſtallos mixtas cum terra atra, et parum liquoris obſcurioris ſeparati a tinctura alcali cauſtici, Cryſtalli alcalinae ſaturatae erant acido calcareo, terra compoſita erat ex magna copia terrae calcareae, et pauxillo terrae ſiliceae ac pauxillo ferri. Modum procedendi accurate deſcripſit, MEYERI phaenomena commemorauit, reiecto eiuſdem cauſtico pingui, MACQVERI phaenomena ſimul addidit, atque de tinctura ſalis tartari et lilio Paracelſi verba faciendo, ſuam ſententiam magis confirmauit.

23. *Nouae meditationes ſuper pondere aucto a ſulphure et phoſphoro per vſtionem producto, et cuinam id tribuendum ſit cauſae, auct.* Cl. LAVOISIER. Vſto phoſphoro in quadam aeris vitalis quantitate in mercurio contenta, ille combuſtione durante abſorbet magnam huiuſce aeris copiam, et inuenitur in acido phoſphorico, quod formatur, augmentum ponderis accurate reſpondens quantitati aeris vitalis abſorpti. Quod ſi aer vitalis adhibitus purus fuerit, eandem puritatem exhibebit combuſtio, et ſi vapores acidi, qui ſe formarunt, condenſantur, noua quantitas phoſphori poteſt effici, atque ſic progredi, donec omnis aer vitalis diſparuit. Colligit exinde in combuſtione combinari magnam portionem aeris vitalis cum phoſphoro, et hoc principium fieri partem conſtituentem acidi phoſphorici, et huic primario et vnice qualitatem ipſius acidi debere tribui. Illuſtrat ſuam ſententiam BERGMANNI, SCHEELLII, CRAWFORDII atque WILKII opinionibus ac experientiis. p. 416.

24. Cl. DE LA PLACE continuatio *ſuper approximationes formularum, quae ſunt functiones maximorum numerorum.* p. 423.

25. Cl. VICQ D'AZYR continuatio diſquiſitionis *ſuper ſtructura cerebri*, in qua de ſtructura cerebri animalium et ſtructura cerebri hominis agit, ac potiſſimum ratione ſenſibilitatis maxima cernitur differentia, quae errores progenuit reſpectu organorum illam producentium nondum ſatis cognitorum, et omnes diſquiſitiones anatomicae huic problemati ſoluendo ipſi minime viſae ſunt ſufficere. Functiones autem neruorum et cerebri in hac re melius explicari poterunt, ſi haec attendantur. 1) Cerebrum, cerebellum, medulla oblongata, medulla ſpinalis et nerui, ſunt organa immediata ſenſibilitatis. 2) Eodem tempore quo nerui ſunt inſtrumenta ſenſationum, eodem quoque tempore iiſdem inſtrumentis voluntas p. 468.

vtitur ad motum musculorum 3) actio neruorum in omnibus partibus corporis producit commercium quoddam et sympathiam, reunientem omnes vires diuersarum potentiarum organicarum, et conseruans inter eas harmoniam determinatam per impressiones receptas ac transmissas ad totum systema neruosum. Sensationes, motus musculorum, sympathiae viscerum sunt tres principes effectus huiusce influxus. Haec principia bene perspecta nos ducunt ad notitiam mechanismi functionum intellectus, et probant dispositionem priuatam cerebri hominis, qua differt a reliquis animalibus, in quibus quippe sensibilitas illa non tam late patet, neque tanta pollet energia. Progreditur ad inquisitionem cerebri quadrupedum, auium, piscium, reptilium, ac insectorum, ac subtiliter et docte eiusdem differentias proponit. Ratione autem sensibilitatis distinguit *actionem siue communicationem neruosam externam, reactionem neruosam, et actionem siue communicationem neruosam internam.* Prima actio se extendens a circumferentia versus centrum, intrat organa sensus neruosque communicantes suas impressiones cum sensorio communi, altera se exserit in sensorio communi, et transit ad neruos inde exeuntes, tertia sese propagat ad musculos, vt ibi percipiantur voluntatis sensationes, et ad viscera, vt illa participent de vniuersa actione systematis, et recipiant modificationes, quae diuersas eorundem determinant conditiones.

p. 505. 26. Cl. LAVOISIER disquisitiones *de phlogisto*, quibus illustratur theoria combustionis et calcinationis ab ipso 1777 publici iuris facta. Phaenomena calcinationem ac combustionem metallorum comitantia, et in vniuersum omnes operationes ad absorptionem et fixationem aeris pertinentes, illustrare nititur, atque omnes explicationes ex principio simplici deducit, videlicet aerem purum et vitalem

lem esse compositum ex peculiari ipsique proprio principio, quod format ipsius basin, et quod vocat *principium oxyginum*, combinatum cum materia ignis et caloris. Ex hoc assumto principio omnes difficultates in Chymia obuiae dissipantur ac euanescunt, et omnia phaenomena simplicissimo modo explicari poterunt. STAHLII, BAVMII, MACQVERI etc. sententias simul examinat.

27. Cl. *Marchisii* DE CONDORCET Commentarii *de probabilitatum calculo*, pars quarta. p. 539.

28. Cl. CAROLI Theorema, *super aequationibus differentialibus finitis*. p. 560.

29. Cl. LAVOISIER *de actione ignis animati per aerem vitalem in substantias minerales admodum refractarias*. Vtitur ad hanc explicationem et ad sua experimenta folle, quo sustineri et animari potest ignis carbonarius aere dephlogisticato PRIESTLEYI, quem Noster aerem vitalem nominat, et quo ignis ita intenditur, prouti a causticis speculis optimis. Experimenta autem instituit cum terris et lapidibus, cum substantiis salinis, sulphure et bitumine, ac substantiis metallicis. p. 563.

30. Cl. LE ROY commentatio *de noua machina electrica*, quae potest considerari tanquam vera antlia pyrobolica electrica. Illa machina ita constructa est, vt eius effectus tantummodo consistat in extrahendo fluido electrico corporis, eaque negatiue aut per rarefactionem electrica faciendi. p. 615.

31. *Ser. Ducis* DE LA ROCHEFOUCAULD, Cl. Abbatis ROCHON et MECHAIN obseruatio *de eclipsi totali Lunae* d. 18 Mart. 1783. p. 625.

32. Cl. MECHAIN obseruatio *de eclipsi totali Lunae* d. 10. Septbr. 1783. p. 628.

33. EIVSDEM *occultationes quarundam stellarum Pleiadum* obseruatae Parisiis d. 9. Febr. 1783. p. 633.

 34. EIVS-

p. 639. 34. EIVSDEM obſeruationes *de eclipſibus ſolis* d. 14. Iun et 17. Octbr. 1781.

p. 643. 35. EIVSDEM commentarius *de cometa* a. 1783.

p. 649. 36. Cl. COUSSIN animaduerſiones *ſuper methodo integrandi approximationes aequationum differentialium, et aequationum differentiarum partialium.*

p. 665. 37. EIVSDEM commentarius continens *quaſdam animaduerſiones ſuper theoria mathematica de motu fluidorum.*

p. 693. 38. Cl. DE LA PLACE, *de natiuitatibus, matrimoniis et mortibus Pariſiis ab a. 1771. vſque 1784. euenientibus.*

p. 703. 38. Cl. DV SEIOVR, *March.* DE CONDORCET et DE LA PLACE, Tentamen *de populatione regni* etc.

p. 719. 39. Cl. MONGE commentarius *ſuper methodo integrandi aequationes differentiarum ordinariarum.*

p. 715. 40. EIVSDEM Commentarius *ſuper integratione aequationum differentiarum finitarum, quae non ſunt lineares.*

p. 731. 41. Cl. CORNETTE Commentarius *de ſale ammoniacali vitriolico ſiue ſale mirabili* GLAVBERI.

p. 745. 42. EIVSDEM commentarius *de ſale ammoniacali nitroſo.*

p. 760. 43. Cl. SABATIER commentarius *de fractura tranſuerſali patellae.*

Anno 1784. Hiſt. Accedimus iam ad Volumen alterum, hiſtoriam, commentarios ac obſeruationes ad annum huius ſaeculi quartum et octogeſimum ſpectantes, continens. Conſeſſus Academiae die 4. Sept. maxime nobilitatus fuit Sereniſſimi regii Principis Boruſſiae HENRICI praeſentia, qui ſub nomine Comitis DE OELS iter in GALLIAM inſtituerat. Academiae, qui a ſecretis eſt lectionem habuit elegantiarum plenam, qua finita Cl. LAVOISIER de combuſtione ſpiritus vini, Cl. TENON de aure humana, Cl. Abbas ROCHON de methodo menſurandi altitudines ſolſtitiales

ſtitiales, etc. Cl. COVLOMB de modo applicandi torta fila etc. lectiones habuere, finiit autem conſeſſum Cl. BAILLY legendo Cl. FRANKLINI, LE ROY, DE BORY et LAVOISIER commentarios, in quibus experientias expoſuere in examine magnetiſmi animalis inſtitutas. Commentarii autem, quos probauit academia, ſunt: Cl. CALLET de conſtructione tubularum logarithm. Cl. NORBEK de tormentis quamplurimis fuſis in Hiſpania. Cl. DVHAMEL de fuſione mineralium plumbearum, de fuſione ſcoriarum, et obſeruationes de mineris ferreis. Cl. FOVRCROY, de difficultatibus in praeparatione alcalium fixorum cauſticorum ſiccorum, et de proprietatibus parum cognitis horum ſalium purorum, de neceſſitate adhibendi alcali volatile in ſtatu gas, et de nouis quibuſdam proprietatibus gas alcalini, de decoloratione cyanei Boruſſiei per calcem et magneſiam, de lenta diſſolutione reguli antimonii per acidum marinum, de praecipitato roſeo mercuriali producto a lacte, lympha etc. de differentia hepatis arſenici et ſalis neutri arſenicalis, eorumque cauſa, de proprietatibus ſalis neutri redundantibus ex combinatione acidi calcarei cum ferro, de quodam ſpatho campeſtri, de ſingulari quadam cryſtalliſatione ſalis neutri arſenicalis, de phaenomenis quae exhibet alcali fixum vegetabile cauſticum, ſi trituratur frigide cum ſulphure et quibuſdam antimonialibus praeparationibus, et de Kermes minerali. Cl. DARCON de ratione, qua craſſum lignum quercinum aqua ſaturatum reſiſtat progreſſui inflammationis excitatae per materias incendiarias. Cl. DE BEAUCHAMP obſeruationes aſtronomicae Bagdadi inſtitutae. Cl. Archiofficii Ducis DE CROY de via ac ratione calefaciendi domos in frigidis regionibus, Cl. SCHREIBER de montibus Chalanchiis prope Allemontium in Delphinatu. Cl. DE BEAUVOIS de ſeminandis fungis

p. 17.

pileo-

pileolo lato orbiculari albicante. Cl. *Abbas* GENTI, de numeris. Cl. VASTEL de plantis marinis. Cl. FOURCROY de quibuſdam parum cognitis methodis vtiliter adhibendis in conſtructionibus maritimis. Cl. MARCH. DE BULLION de tartaro contento in vuis immaturis et muſto.

p. 20. Inter elogia membrorum academiae regiae primum eſt Cl. PETRI IOH. MACQVER, doctoris regentis facultatis medicae Pariſinae, nati ibidem 9. Oct. 1718. patre IOSEPHO et matre MARIA ANNA CADIEL, inter ſocios Academiae receptus eſt 1745 ipſique ſuis laboribus multum profuit, atque de chymia optime meritus eſt, ipſi contigit ſecunda valetudo, ante mortem autem per aliquot tempus doloribus infeſtatus eſt, atque iuſſit vt poſt obitum corpus incideretur, finiit autem vitam placide d. 15. Febr. 1784. apertoque cadauere, oſſea facta aorta deprehenſa eſt et formatae concretiones lapideae in cauitatibus cordis perplurimos annos cauſa dolorum exſtiterant.

p. 31. Cl. TORBERN BERGMANN, Prof. Chemiae Vpſalienſis, natus Catharinaeberga d. 20 Mart. 1735. patre Bartholdo, aerarii publici coactore, primis litterarum rudimentis poſitis Vpſalam petiit, ibique matheſin ac phyſicam coluit, at vita ſedentaria ſanitati ipſius obfuit, quare ad lares reuerſus poſt aliquot annos exercendi corporis cauſa, quia eius ſanitas alio modo reſtitui non poſſet. In hoc otio inſectis ac botanicae operam nauauit, multaſque detexit plantas, quas poſtea reuerſus Vpſalam cum LINNEO communicauit, quas etiam ille ſuis inſerendas curauit claſſibus. Detexit coccum aquaticum, de quo LINNEVS dixit, vidi et obſtupui. Etiam cuidam ſpeciei inſectorum eius nomen a LINNEO fuit impoſitum. 1761. profeſſionem mathematum et philoſophiae naturalis auſpicatus eſt, et a. 1767. inter

ter eos qui ambirent profeſſionem chemiae relatus eſt. Scripta de eius ingenio atque inuentionibus teſtantur. Obiit d. 8 Iul. 1784.

Cl. IOH. FRANC. CLEM. MORAND, Doctor re- p. 48.
gens facultatis medicae Pariſinae, natus Pariſiis 29. April. 1726. patre SALV. FRANCISCO, in omnibus ſcientiis medicis excellere ſtuduit, eaſque ſcriptis ſuis illuſtrauit, acceſſit nomine adiuncti anatomici ad Academiam 1759, atque magnam promeruit laudem ob diſſertationem de ſtructura interna et vſu thymi. Sed etiam Academiae deſcriptionem exhibuit, de explodendis fodinis lithanthracum aliaque ſcripta, atque in praxi quoque ſuae induſtriae dedit teſtimonia; peripneumonia demum maligna exſtinctus eſt d. 13 Aug. 1784.

Cl. CAESAR FRANC. CASSINI DE THVRY, p. 54.
Director obſeruatorii, natus Pariſiis d. 17 Iun. 1714. patre IACOBO. Dicatus eſt aſtronomiae ac Cl. MARALDVM ſuorum ſtudiorum nactus eſt directorem. Anno 1735 receptus ab Academia adiuncti ſupernumerarii nomine. 1761. in Germaniam peregrinatus eſt, atque Vindobonae ſuis aſtronomicis ſtudiis gratiam Imperatoris, principum Bauaricorum, Marchionum Baruthinorum et Badenſium promeruit. Domum poſt varia itinera redux variolis infectus 4 Septbr. 1784 exſpirauit.

Cl. NIC. CHRISTIERN DE THY, Comes DE MIL- p. 64.
LY, ex familia nobiliſſima, quae Bellojouienſi in regione per quatuor et quod excurrit ſecula floruit, oriundus anno 1728 d. 18. Iun. Toga ſagoque clarus, ſiquidem, tribunus militum, ſupremus adiutor caſtrenſis, clauiger et eques ordinis ſinceritatis ſiue aquilae rubrae factus eſt. In patriam redux locumtenens copiarum Helueticarum et tribunus militum nominatus eſt. Inprimis autem probe verſa-

versatus fuit in chymia. Viuere desiit d. 17. Septbr. 1784.

Comm. Jam a nobis ex ordine commentarii recensendi sunt:

p. 1. 1. Cl. DE LA PLACE *de inaequalitatibus secularibus planetarum et satellitum.*

p. 51. 2. Cl. PORTAL *de mortibus subitaneis euenientibus ex ruptura ventriculi sinistri cordis.* Multa quidem prostant exempla rupti cordis, prorsus tamen singularis casus Cl. A. occasionem suppeditauit sua meletemata de hac laesione litteris consignandi. Historia haec est, Anno 1768 foeminam de Chabanne, quae vsque ad sexagesimum annum prospera vsus fuerat valetudine, post mortem incidit. Versus vitae finem conquesta illa est de respirationis difficultate, indies illa aucta est, praeprimis si adscenderet scalam aut si conscenderet rhedam, pulsus fuit admodum irregularis, intermittens, et post aliquot momenta iterum regularis factus, vsque ad annum 65 has molestias sustinuit. In sanguinis missione multum inuenit leuaminis, vnde bis aut ter in vnoquoque anno incisa est vena. Si perciperet quasdam inquietudines protinus sensit palpitationes, et cum aliquando eius ira esset concitata, palpitationes increuere, ita vt aegre respirare posset, pallesceret, frigus in extremitatibus sentiret atque demum periret. Inciso abdomine deprehensa est extrauasatio mediocris seri rubro-atri, hepar fuit infarctum et durissimum, in vesicula fellea quatuor calculi fuerunt, ipsa erat valde angusta et formam canalis repraesentabat, cuius diameter paene toti respondebat longitudini eiusdem, cetera naturalem in abdomine referebant conditionem. In thorace igitur causa mortis quaerenda fuit: pericardium fuit admodum distensum et sanguine repletum, auriculae cordis insigniter magnae, ventriculus dexter duplo amplior

amplior ſiniſtro, parietes ipſius, qui ob diſtenſionem tenuiores eſſe debuiſſent, craſſiores erant, molliores, et quamplurimis pertuſi rupturis; ventriculus ſiniſter aeque referens craſſitiem magnam parietum, tamen tribus aperturis praeditus, vna in parte anteriore cordis verſus baſin in parte illa, vbi ligamentum tendineum aortam cordi adnectit, reliquae duae parallelae a ſe inuicem digiti latitudine diſtabant. Ventriculus dexter in apice erat pertuſus verſus ſuperiorem extremitatem ſepti cordis. Valuulae ſigmoideae aortae induratae et ab oſſeis concretionibus eleuatae erant, ſimilis naturae maſſa poſt illas erat collocata, quae tantummodo per anguſtum exitum ſanguinem tranſmittebat, et illa via coarctata erat ab oſſificationibus, quibus aorta erat incruſtata. Arteria pulmonalis oſſea facta erat in diuerſis regionibus propinquis orificio ventriculi dextri. Corpus annulare ligamentoſum annexum huic ventriculo et valuulas ſuſtinens, valde durum, inaequale et ſic inflatum erat, vt apertura ſingulari modo anguſtata eſſet. Valuulae habebant conſiſtentiam cartilagineam et corpuſcula Vidii Vidii aut ſi mauis Aruntii, quae illas finiunt, aequabant quoad magnitudinem paruum piſum, et ſepties aut octies maiores quam in ſtatu erant naturali. Haec fuerunt haud dubie obſtacula, quae ſyſtolem cordis impedierunt, et reſiſtentia, quam ſanguis contractioni ventriculorum oppoſuit, ſenſim dilatationem procurauit, circulatio vero ſanguinis in vaſis coronariis lenta eſſe debuit, et ſanguis in illis contentus inter fibras cordis extrauaſatus erat, eaſque repleuerat, contextus earum relaxatus erat, tumidus, et illae per proprias contractiones ſunt ruptae. Plura addidit Noſter exempla, quae breuitatis ergo vltro omittimus.

3. Cl. PORTAL obſeruatio *de natura morbi cuiuſdam ſingularis eiuſque cura*. Filius Principis Iuſtiniani p. 65.

niani debilis quidem conſtitutionis vſque ad annum vndecimum nullos morbos expertus graues, cepit tunc ſentire in functionibus ſtomachi perturbationes quaſdam, ſenſit autem aliquot horis poſt ſomnum leniores nonnullas vomituritiones, poſt cibos captos autem vehementes in regione ſtomachi dolores, paulo poſt ſequebantur motus conuulſiui atque is macie magis magisque quotidie conficiebatur. Medici Romani ipſi medelam afferre non potuerunt, quare parentes ipſius Pariſios iſtum tranſtulerunt atque curae Noſtri tradiderunt. Conditio autem aegri haec fuit: duabus horis poſt paſtum ſenſit dolorem obſcurum in abdomine verſus ſtomachi regionem, hic dolor ſeſe protendebat in ſiniſtro latere vſque ad coſtas ſpurias, reſpiratio magis magisque difficilior fiebat, vires imminuebantur, et ob defatigationem ſedere cogebatur. Aliquot momentis poſt paulo difficilior fiebat reſpiratio, facies rubore tingebatur, oculi tumeſcebant, protuberabant et admodum fixi fiebant, perſentiſcebat anxietates in faucibus, ita vt linguam cogeretur protendere ex ore et ſequebantur ſtrangulationes. Lingua colorem rubro violaceum referebat et prorſus ſingularem craſſitiem, et exſpiratio comitem habebat clamorem lamentabilem, qui in longinquo audiri poterat. In hoc ſtatu iam nonum et decimum attigerat annum. Noſter autem a medicis, quibus commiſſus fuerat, non poterat quid certi de tractatione huius morbi cognoſcere. Igitur rem proprio Marte aggreſſus eſt, et quia exiſtimabat in abdomine cauſam latere morbi, illud perquiſiuit. Regio epigaſtrica erat dura tumidaque, et reſiſtentiam in ſiniſtro praecipue deprehendit hypochondrio. In extremitate anteriore ac externa coſtarum ſpuriarum ſiniſtri lateris erat tumor mollis digito facile cedens, apparenter ſub inſpiratione increſcens, ideo vitium in liene eſſe coniecit,

coniecit, et ob collectum ibi sanguinem premi simul stomachum angustatum. Curam autem aggressus est refrigerantibus, balneis tepidis, succis depuratis plantarum cichoreacearum, quia autem has vomitu reiiceret potiones, dedit terram foliatam tartari et tartarum crystallisatum. Imminutis vomitionibus assam foetidam, camphoram et moschum dedit, ac addidit cynoglossam. Tandem terra foliata tartari imminuta sensibilitate stomachi exhibitaest. Digestio restituta nutritionem requirebat, igitur chocoladam cum ouis accepit, cichoreum et carnes leuiores assas. Tumor in lienis regione subsedit. Redeunte aliquoties morbo vsus remediorum denuo ipsi praescriptus, et aquae Vichyenses, et purgationes ex oleo de palma Christi. Iam sanitate integra gaudet.

4. Cl. D'AGELET obseruationes *de mercurio, factae in schola regia militari.* p. 74.

5. Cl. DAUBENTON. Commentarius primus *de primo panno laneo subtilissimo ex Francogalliae prouentibus.* p. 76.

6. EIVSDEM *additamentum ad comm. I.* etc. p. 81.

7. Cl. MONGE *super expressione analytica generationis superficierum curuarum.*

8. EIVSDEM *super calculo integrali aequationum differentiarum partialium.* p. 118.

9. Cl. SABATIER *de multis morsibus a rabido cane vni personae inflictis, ac feliciter sanatis.* Iuuenis 25 morsibus a cane rabido inflictis, cuius historiam narrat auctor, sanatus per cauteria cum butyro antimonii liquido, in quo intincta fuerant penicilli e fibris betulinis facti et linteo obuoluti, minora vulnera acu maiori candefacto et sulphureo vrebantur, illaque caustica simul omnibus punctis superficialibus et marginibus vulnerum ac incisionibus factis applicabantur. Suppuratione facta res ex voto breui successit. p. 193.

p. 200. 10. Cl. FOVGEROUX DE BONDAROY, *super planta quadam Peruuiana; quae recens in Francogallia innotuit.* Cl. DOMBEY, cui botanica multa debet, anno 1780 misit ad Academiam granum *Quinoa* dictum. Planta inde proueniens annua est atque ad didynamias angiospermas L. cuius delineatio exstat apud Cl. IVSSIEV, pertinet. Planta e terra propullulans gaudet duobus foliis seminalibus oppositis, crassis non dentatis. Planta breuis, radix lignosa, rami et caules herbacei angulosi et quasi quadrangulares. Flores dispositi in spica, quinque, sex aut decem floribus incompletis terminata. Calyx duobus labiis instructus in incompletis, tribus in completis coloris rubicundi. Corolla inaequalis, larga. Noster eam appellat TOVRRETIAM *caule volubili, quadrangulari, cirrhoso, foliis plerumque trifidis, foliolis dentatis, fructu hispido, xanthio seu lappae minori fere simili.*

p. 207. 11. EIVSDEM commentarius *super Pruno Armeniaca Sibiriensi.* Cl. HAMEL sic describit: armeniaca betulae folio ac facie, fructu exsucco, et PALLAS nominat prunum Sibiricam. Synonyma sunt: Prunus inermis, foliis ouato-cordatis, longe mucronatis, fructibus excussis. Prunus floribus sessilibus, foliis ouato-oblongis. Prunus inermis, foliis ouato-cordatis, longe mucronatis, fructibus exsuccis (sessilibus).

p. 211. EIVSDEM *de noua vlmi specie* commentarius. Cl. RICHARD eamdem in Francogalliam transferendam curauit, ipsique nomen *vlmi pedunculatae* est impositum. Descriptio haec est: Vlmus foliis ouato-acuminatis duplicato-serratis, basi inaequalibus, fructu viridi bicorne villoso, pedunculo filiforme longo, membrana seminali subtilissime reticulata.

p. 216. 13. EIVSDEM *descriptio piscis e Silurum genere dicti a Germanis Schaid et Schaiden.* Est glanis SALVIANI

VIANI et ALDROVANDI. Silurus glanis LINNEI, harcha aut acchia Polonorum, ſheat fiſh Anglorum, Glagno Conſtantinopolitanorum, et glanis PLINII.

14. Cl. COVLOMB *diſquiſitiones theoricae et experimentales de virtute torſionis et ſuper elaſticitate filorum metallicorum.* p. 229.

15. Cl. *Abbatis* HAÜY *de corneis cryſtallitatis dictis obſeruationes.* Analyſin earum exhibuerunt BERGMANN et KIRWAN; ſed imperfectas eorum cenſet deſcriptiones, diſtinxit autem hac in obſeruatione corneum cr. atrum, ſex lateribus conſtantem, qui ſe terminat in tres facies rhomboidales, et corneum album decem lateribus comprehendentem et in ſummitate ſe terminantem in duas facies. Has binas ſpecies cryſtallorum a ſe inuicem differre ſtatuit. p. 270.

16. EIVSDEM *de ſtructura cryſtallorum Feldſpath dictorum* commentarius. Sub nomine granitorum illae occurrunt. Duas earumdem conſtituit Cl. DESMAREST varietates, quarum altera decem lateribus, altera ſex conſtat, et vtriuſque facies priſmatica eſt, quae ſub nomine formarum ſecundariarum deſcribuntur. Plures autem eſſe varietates auctor ſtatuit ſcilicet Feldſpath priſmatis obliqui, quadranguli, rectanguli, et Feldſpath decem laterum cum ſummitatibus duarum facierum et duorum paruorum angulorum, et Feldſpath cum 6 lateribus, et in ſummitate duabus faciebus. p. 273.

17. Cl. SAGE commentarius *de effectu aeris inflammabilis in corpora organica.* Experimenta declararunt omnia animalcula in aere inflammabili perire et intra tres ſeptimanas ſolui in fluidum griſeo-rubro atrum. Corporum autem organicorum ab aere inflammabili diſſolutio poteſt morbis illis cognoſcendis inſeruire, nos infeſtantibus, ſi calidis menſibus commoramur in paludoſis locis. Satis ingenioſe hanc theoriam ad mechaniſmum digeſtio- p. 278.

nis noster applicat dicendo: Nos simul cum alimentis magnam aeris atmosphaerici copiam deglutire, qui se decomponat in stomacho, et aer dephlogisticatus, qui ibi princeps est, sese conuertit in aerem inflammabilem, aut modificatur in aere inflammabili particula materiae oleosae, quae principium est alimentorum. Quo in casu aer inflammabilis soluendo carnes et alimenta, nos minime dubitare sinit quin illud sit proprium punctum conuersionis alimentorum in chylum.

p. 289. 18. EIVSDEM *Experimenta declarantia quantitatem magnam plumbi necessariam esse ad extrahendum e terra argentum ibidem contentum.*

p. 291. 19. EIVSDEM *Analysis minerae plumbi terreae flauo atrae, antimonialis et martialis,* etc.

p. 293. 20. Cl. TESSIER *de substantia quadam in truncis populorum albarum Italicarum reperta.* Materia illa erat alba, e longinquo grandinis formam prae se ferens, odoris debilioris mellei, saporis saccharati, et digitis adhaerebat si premeretur, quae in aqua soluebatur, ad ignem exhalabat. Hanc materiam ope caloris ex arboribus illis extrahi arbitratur, et apes admodum illa delectantur.

p. 296. 21. EIVSDEM *de grandine qui decidit in Belsiae quadam regione d.* 25 *Maii* 1783. *eiusque effectis.* Segetes et frumentum magnam inde experta sunt noxam.

p. 301. 22. Cl. DE LA LANDE *Examen nuperrimae reuolutionis Iouis et elementorum actiuorum orbitae eiusdem.*

p. 313. 23. Cl. MESSIER commentarius continens *obseruationes de primo Cometa anni* 1784. *obseruato Parisiis.*

p. 328. 24. EIVSDEM obseruatio *de eclipsi Lunae.*

p. 331. 25. Cl. CASSINI *confirmatio nouarum detectionum in magna Britannia factarum circa stellas fixas.*

26. Cl.

26. Cl. *Equit.* DE LA MARK commentarius *super nouo plantarum genere Brucea, et super spurio Brasilio Americano.* Ex Abyssinia illa planta a Cl. Eq. BRVCE in magnam Britanniam traducta est, commode illa sic describi potest: Brucea antidysenterica, Brucea foliis tetrandris, racemis simplicibus. Calyx externe opertus, profunde in quatuor lacinias ouales acuminatas, apertas et quasi glandulosas in summitate diuisus. Petala quatuor ouato - acuminata, ciliata alternatim cum diuisionibus calycis se coniungentia et aperientia vti stellas. Stamina quatuor longiora petalis, quorum filamenta inseruntur in sinus disci. Discus planus, carnosus, quatuor incisuris notatus. Pseudobrasilii autem mentionem fecit Cl. PLVMIER, duas agnoscens species, scilicet pseudobrasilium hirsutum, quod nostro species Tariri Guianensis non absque veritatis specie esse videtur, nimirum tariri arbor tinctoria, foliis alternis, obscure violaceis, et brasilium glabrum. Conuenientiam quandam habet cum dodonaea aquifolii folio tricuspidato aut cum comocladia L. vnde eam nominandam esse sibi persuadet Noster comocladiam (tricuspidatam) foliis pinnatis, foliolis ouatis tricuspidatis, racemis subsimplicibus. p. 200.

27. Cl. CAROLI *disquisitiones de calculo integrali.* p. 348.

28. Cl. MONNIER commentarius *de stella disparente in regione Tauri.* p. 353.

29. Cl. DE FOVRCROY obseruatio *super illusione quadam optica.* p. 355.

30. Cl. MECHAIN commentarius continens *obseruationes et theoriam primi cometae a.* 1784. p. 358.

31. EIVSDEM obseruationes de eclipsi Lunae d. 6. Mart. 1784. p. 367.

32. Cl. LE GENDRE disquisitiones *super figura planetarum.* p. 370.

p. 390. 33. Cl. MEUSNIER commentarius *de ſubſidiis procurandi totalem olei combuſtionem et augmentandi lumen lampadum, et praecauendi formationi fuliginis, cui vt plurimum expoſitae ſunt.*

p. 399. 34. Cl. DE FOUCHY *obſeruatio anatomica.* Cl. A. quum veſperi domum iret a lapide pauimentario qui deciderat plaga affectus ſuper vomere et cuneo orbitae oculi dextri, cutis vomerem tegens erat laeſa atque ſanguis deſtillabat. Statim dolorem ſenſit in oculo ſiniſtro. Peculiare illud fuit, vt, ſi vomer in ſiniſtra aut dextra parte premeretur, interne ſentiret crepitationem. Poſt coenam autem increbreſcit dolor in oculo ſiniſtro, et tunc non potuit verba eloqui, quae voluit. Attentus eſt ad id quod dicitur, et paratus ad reſpondendum alia verba pronunciat. Paroxyſmus ille per aliquod minuta durat. Haec conditio attentum noſtrum reddidit ad Cl. VICQ D'AZYR de cerebro commentationem, qua adſtruit filamenta neruoſa per cerebrum tranſeuntia accedere ad os cribroſum et ad interiora naſi penetrare, vnde colligit haec filamenta a plaga accepta fuiſſe concuſſa, et hanc concuſſionem vſque ad cerebrum tranſiiſſe et ſimul ſenſorium animumque affectum fuiſſe.

p. 402. 35. Cl. MORAND *vniuerſales animaduerſiones, quae loco reſponſionis eſſe poſſunt ad quaeſtionem a* Cl. GASTE DE BONAY *Academiae propoſitam, concernentem caritatem et raritatem ligni combuſtibilis, praecipue carbonum, ratione fornacum fuſoriorum et ferrariorum.*

p. 407. 36. Cl. COUSIN *de integratione aequationum differentiarum partialium* commentarius.

p. 430. 37. Cl. BUACHE commentarius *de Friſonia Inſula,* cuius exiſtentia adſtruitur.

p. 454. 38. Cl. *March.* DE CONDORCET continuatio commentarii *ſuper calculo probabilitatum.*

39. Cl. LE GENTIL commentarius *de magnitudine apparente corporum opacorum, ſi e luminoſo aut alio loco conſpiciuntur.* p. 469.

40. EIUSDEM Commentarius *de frigore obſeruato in obſeruatorio regio et apud Cartuſianos ſub finem a.* 1783. p. 478.

41. EIVSDEM Animaduerſiones et obſeruationes *ſuper aſtronomia Indorum et ſuper antiquitate huiuſce aſtronomiae.* p. 482.

42. Cl. MONGE ſupplementum, in quo probatur: *aequationes differentiarum ordinariarum, per quas conditiones integrabilitatis non ſunt ſatiſfacientes, veram integrationem poſſe ſuſcipere.* p. 502.

43. Continuatio tentaminis *de cognoſcenda imperii populatione* auctoribus Cl. SEIOVR, *March.* DE CONDORCET et DE LA PLACE. p. 577.

44. Cl. LAVOISIER commentarius *ſuper combinatione principii oxygini cum ſpiritu vini, oleo et diuerſis corporibus combuſtibilibus.* Adhibet huic rei lampadem eo conſilio factam atque combuſtionem fieri iubet in vaſis clauſis. Experimentis inſtitutis accurate calculum ſubduxit. p. 593.

45. Cl. BROVSSONET tentamen, quo *comparatio inter motus animalium et plantarum inſtituitur, et deſcriptio ſpeciei cuiuſdam hedyſari foliis perpetuo ſeſe mouentibus inſtructi.* Motum rapidum plantarum a cauſa irritante deducit, eam autem validiorem eſſe in animalibus ſtatuit, quia perfectior eſt organiſatio diuerſarum partium et plura ſigna irritabilitatis ſub ſenſus cadunt. In organiſationis perfectione gradus irritabilitatis ſunt. Facultas reproducendi quoque animalibus ac plantis communis eſt. Motus vitales plantarum lenti ſunt et interne determinati per circumſtantias; motus vitales ſunt ſenſibiles admodum penes animalia et pendent a corde, arteriis, thorace. Si omnis motus ceſſat, mors vtriuſ- p. 609.

que inſtat. Leges motus plantarum ſunt efficaciſſimae. Conueniunt quoque plantae quoad motum cum motu animalium reſpectu ſuccorum periodi, aeris inſtrumentorum, poſitionum, quas diuerſo tempore ſeruant, temperaturae atmoſphaerae, agitationis, luminis, etc. Raritas fluidi in plantarum vaſis interdum proprios motus excitat, abundantia plures, ſolutio quoque aliquem motum producit. Externae cauſae modificant motum. Planta autem eſt hedyſarum gyrans, quam melius cum Cl. DAUBENTON hedyſarum oſcillans nominare amat. Radix annua, interdum biennis, ramoſa, fibroſa. Rami 6 aut 7. lignoſi, laeuigati, cylindrici, ſurculis alternatim poſitis ſolutis, flexilibus, epidermide laeui et viridi veſtiti, folia alternatim poſita. Flores ſpinam formant erectam, elongatam, papilionacei, parui. Calyx quadridentatus. Corolla quinquepetala. Stamina decem, ſeparata in duo corpora. Germen lineare, compreſſum, terminatum in ſtigma obtuſum. Fructus leguminoſus, recuruus, compreſſus. Semina parua, reniformia, compreſſa, admodum laeuigata, griſeo-atra, macula notata.

p. 622. 46. Cl. CAPTAL obſeruationes *ſuper cryſtalliſatione olei vitrioli.* Miſſae ſunt hae obſeruationes a ſocietate regia Montiſpeſſulana ad academiam mutui commercii litterarii ſeruandi cauſa. Diſquiruntur ac examinantur cryſtalli, ſimulque figura earumdem additur.

p. 631. 47. Cl. *Comitis* CASSINI *Extractum obſeruationum aſtronomicarum et phyſicarum, inſtitutarum in obſeruatorio regio a.* 1785.

XXIV.

## XXIV.

## Noua phyſico-medica.

*Deſcriptio nominum Academiae regiae chirurgicae Pariſinae.*

Cl. IOH. BAPT. ANT. ANDOVILLE, Praeſes, Conſil. in rebus imperii, chirurg. primar. reg. ſocius liber acad. R. Scient. in aula.

Cl. IOH. BAPT. LOVSTONAU, Praeſid. Vicar. Conſil. in reb. imp. chir. primar. reg. deſ. chir. prim. Fratris reg. Comit. Ardeſiae et Dominae Adelaide, N. Verſaliis.

Cl. PETR. BRASDOR, Dioeceſ. Cenoman. Direct. ac Prof. Therapeut.

Cl. FRANC DIPELET, II. Direct. Vicar. nat. Coucy in Legionenſi Dioeceſi, chirurgus hernias tractans, Regi a ſecretis.

Cl. ANT. LVDOVICVS, Diuiodun., ſecret. perp. ſoc. honorarius coll. med. Nancei. ſoc. reg. ſc. Montiſpeſſ. aggregatus honor. Diuion. Soc. acad. Lugdun. Rothomag. Diuiodun. Gotting. Bonon. Harlem. Patau. Florent. Doct. Chir. Hallenſ. Magd. Prof. Cenſor Reg. Chirurg. conſult. exercituum reg. Inſpect. noſocom. militar. imperii, ſenior chirurgus maior Xenod. Charitatis, doctor Iuris facult. Pariſ. et Aduocatus ſupremi regni Galliae Senatus, Bibliothecarius Academiae.

Cl. BERNH. PEYRILHE, Commiſſ. ad extracta conſtitutus, D. M. Prof. Chym. et Botan. ſoc. acad. Sc. Toloſat.

Cl. PETR. SVE, II. Pariſ. Comiſſ. ad litterarum commerc. Chirurg. noſocom. Vrbani, ſoc. Acad. Montiſp. Rothom. et Diuion.

Cl. PETRVS LASSVS, Pariſ. Locum tenens primarii chirurgi regii, chir. primar. Dominar. Victoriae et Sophiae in Francogallia.

Academici

Ad eos omnes chirurgi Parisini pertinent, quorum quadraginta sunt consiliarii Comitatus perpetui, reliqui viginti adiuncti comitatus.

Socii exteri.

GRASHVIS, D. M. et soc: Acad. Imp. Nat. Curios. Amstelodami.

CHARRON, Consil. et chir. primar. def. Reg. et. regin. Polon. Dresdae.

ACREL, socius acad. reg. scient. et societ. Chir. Holmiae.

MOSCATI, Chirurgor. princeps in nosocomio magno Mitau.

SHARP, socius reg. soc. Londinensis, et chirurg. prim. Nosocom. Pui. Londini.

BIANCONI, D. M. et Cons. aul. Dresd. Romae †.

BOEHMER, Prof. anat, et chir. Hal. Acad. Imp. Nat. Cur. Sodal. Halae.

*Com.* DE CARBVRI, prof. Sen. regius med. pract. in litterarum vniuersitate Taurin. Soc. Academ. Furfurar. et histor. natur. Florent. ac soc. reg. scient. Lond. et Edimb. chirurg. consultans filiae R. Galliae natu maj. Paris.

CAMPER, Prof. anat. et Chir. Sen. Amstelod. et med. Groening. soc. reg. Lond. et Acad. Harlem. sodal. Franeq.

BRAMBILLA, protochirurg. Imp. Vindobon.

SIEBOLD, Doct. M. Prof. anat. chir. et artis obstetric. Wirceburg.

SANDIFORT, Doct. M. soc. acad. reg. Holmiens. et soc. physico-med. Basil. Pr. anat. et Chir. Lugd. Bat.

HVNTER, Chir. extraord. reg. Magnae Britan. et soc. reg. Lond. sod. Londini.

MONRO, soc. reg. Lond. ac Edinbg. sod. Prof. anat. Edimburg.

PA-

FAMARD. Auenionenſ.

Socii regnicolae.

BOVCHER, D. M. acad. reg. ſc. Pariſ. familiaris per litterarum commercium, Prof. et demonſtrator ſtipendiatus anat. Inſul. Flandriae.

SERRES, chirurg. mag. prof. et demonſtr. reg, Montiſpeſſ.

GRASSOT, ſoc. reg. ſc. litterar. elegant. ac art. ſod. Prof. chir. Lugd.

BAILLERON, acad. ſc. et bon. litt. ſoc. chirurg. magiſt. Biterrae.

HVGON, acad. ſc. Lugd. ſoc. mag. chir. Arelat.

CAQVE, chirurg. primar. noſocomii ad Deum dicti, et ſtipendiatus reg. Remi.

SARREAV, mag. Artt. et chir. profſ. et demonſtr. anat. reg. ſoc. reg. ſc. ſod. Montiſp.

BROVILLARD, chirurg. maior copiarum maritim. Maſſiliae.

VIGAROVX, mag. artt. et chir. prof. et demonſtrator, reg. ſoc. reg. ſc. ſod. Montiſpeſſ.

FAVRE, mag. artt. et chir. prof. ſen. collegii Lugdun. Auenion.

SAVCEROTE, mag. artt. et chir., chirurg. ordinar. defuncti regis Polon. et chir. mai. Generoſ. equit. deſultor. in Lunae Villa.

LA FLIZE, Praeſ. coll. reg. chir. Nancei.

BILLARD, Breſtiae.

LOMBARD, chir. maior noſocomii reg. milit. Argentor.

CHAVSSIER, Prof. anat. et chir. Diuion.

GVERIN, Mag. art. et chir. Burdegal.

Academia praeterea creat quoque familiares ob litterarum commercium, quo quidem honore inſigniuntur chirurgi non tantum prouinciarum Galliae, ſed etiam exterarum nationum, ſi commentariis aut obſerua-

ſeruationibus exhibitis ſuam doctrinam academiae ſatis probauerint, quo ex merito hic honos ipſis ſit tribuendus.

In conſeſſu Academiae regiae ſcientiarum Pariſinae d. 24. Maii a. c. Cl. BERTHOLET indicauit a ſe inuentam virtutem fulminantem argenti, ſimulque adiecit methodum, qua vſus eſt, praecipitauit nimirum in acido nitri ſolutum argentum per aquam calcis, illud praecipitatum per triduum expoſuit aeri, ac diluit iſtud cum alcali volatili cauſtico, et puluis inde obtentus argentum fulminans exhibuit, quod a corporum frigidorum attactu fulminat vehementiſſime.

Vpſaliae in horto arcis, qui nunc academicus eſt nuncupandus, ab rege potentiſſimo fundamenta iacta ſunt aedificii botanici ſumtibus regiis exſtruendi. Tabula aenea caementum, in quo ſeruantur monetae, tegens, hanc habet inſcriptionem: GVSTAVVS III. *vt bonis artibus, et praeſertim ſcientiae in gentis laudem a Carolo Linneo ad faſtigium euectae conſuleret, ſimulque memoriae conſecraret auſpicia, quibus Filius* Guſtauus Adolphus *Acad. Vpſalienſem tuetur, has aedes exſtruere voluit, primis ſua manu locatis fundamentis die* XVII. Aug. MDCCLXXXVII.

Academia Francogallica a RICHELIEAV R. Eccl. Purpurato fundata Cl. MANDOVIN DE MONTAZET Equit. *de* FLORIAN, Cl. VICQ D'AZYR, med. Soc. a ſecr. et Equit. DE BOVFFLERS, caſtrorum Praefect. ſibi adiunxit ſocios.

Academia ſcient. Diuionenſis Cl. GRVNERVM inter ſocios ſuos recepit.

Cl. KACHELMAIER Aemonam vocatus eſt, vt Cl. HACQVET Prof. chir. et art. obſt. ad Leopolitanos euocato, in munere docendi iſto ſuccederet.

Cl.

Cl. MARC. HERZ, Conſ. Valdecenſis, et medicus noſocomii Iudaeorum a R. Boruſſorum philoſophiae Prof. Berolini creatus eſt.

Menſe Iulio huius anni Vir Ill. IOH. EHRENFR. POHL. Phil. et Med. D. Botanices P. P. Fac. med. Lipſ. Aſſeſſor, Praefect. Circul. prouinc. Phyſic. ac med. obſtetr. adi. ſoc. oecon. Lipſ. membr. honor. ac Acad. Imp. Nat. Cur. Soc. a ſereniſſ. Electore Saxoniae Archiater creatus ac Conſiliarii Aulici honoribus ornatus, Dreſdamque vocatus eſt.

Cl. LVDWIGIVS, Prof. Med. et Hiſt. nat. Phyſicus praef. Circul. prouinc. Lipſ. factus eſt.

Iudex in rebus montanis Carnienſ. Cl. C. DE PLAYERN, qui mineralogica edidit ſcripta, Oenopontum abiit, vt ibi conſiliarii gubernii in montaniſticis munus adiret.

Cl. *Thom*, anat. Profector Gieſſenſis, ordinarius Prof. med. ibidem conſtitutus eſt.

Mortui ſunt

Cl. F. THOMLINSON, med. ſen. noſocomii Londinenſ. Guyſi appellati, qui ſcripſit *medical miſcellanies, or collection of tracts and commentaries*, Lond. 1769. 8. et alia. In eius locum ſucceſſit D. TH. SKEETE

D. XVII. April. Cl. GE. LVD. Eques Comes DE BVFFON. Dynaſta in Montbarro, Marchiſius Rougemont. Vicecom. de Quincy, Dynaſta in Mairie, Harems, Berges aliiſque in locis, Inſpector horti et muſei rerum natural. regis, vnus ex quadraginta membris Acad. Francogallicae, Theſaurarius perpetuus academiae ſcient. Natus Montbarri in Burgundia d. 7 Septbr. 1707.

D. III. Maii Ticini D. IOH. ANT. SCOPOLI, Conſil. in reb. mont. Prof. Chem. et Botan. in litterarum vniuerſitate Ticinenſi. Nat. a. 1723. Fleimſthalii in comitatu Tirolienſi, et per aliquod tempus

Schem-

Schemnizii Professoris munere functus est vsque ad annum 1777. quo Ticinum vocatus est.

D. IV. Aug. D. IOH. GVIL. BAVMER, Consil. in rebus montanis Hassiaco-Darmst. professor prim. med. Giessens. Nat. d. 19. Septb. 1719.

D. XXII. Sept. magnam iacturam ordo medic. Lips. passus est obitu Cl. ERNESTI GOTTLOB BOSII, Therapiae P. P. O. medicae fac. Dec. ac promot. perpetui, acad. Decemu. coll. maj. Princip. coll. poliatri et physic. med. nosoc. et oecon. soc. membr. hon. anno aetatis 65.

*Recensio tabulae vniuersalis ad LXV. Tomos priores Diarii ad med. chir. et pharmac. spectantis d. 8. Maii* 1788.

Hic nobis offeruntur librorum nouorum excerpta, analyses systematum elegantiorum omnis doctrinae theoreticae, vna cum praeceptis saluberrimis, redundantibus ex obseruationibus ac experientiis. Instruimur de iis, quae ab excellentissimis ingeniis in physica medicinali sunt inuenta, additis copiosissimis obseruationibus diligentissime collectis, verum etiam nobis proponit seorsim ea quae ad practicam pertinent medicinam, obseruationibus confirmatam in maioribus nosocomiis factis, et ita in ordinem redactis, vt diarium medicum possit appellari, et si ita loqui licet tabularium publicum, in quo reposita sunt omnia ac probe digesta et in locos diducta, quae arti salutari quam maxime inseruiunt. Necessitas autem rei exigere videbatur omnes titulos ita disponere, vt vtiliores redderentur, et vt quotidie eosdem adhibere possemus ad conseruandam et defendendam vitam humanam a quibuscunque iniuriis. Sed huius rei causa tot molestiae, tot difficultates atque adeo improbus labor superandae erant, nihilo tamen secius has difficultates Cl. A. vicit, atque tabulam confecit vniuersalem super quinque et sexa-

